Henr. D. Anton. Rosel. Syto. Armil. Enrig. quando vir uxore sciente, & consentiente, aut non contradicente, est promotus et, & tradicenteque promotus est; tunc enim proles erit legitima, quantus ad ordines, secus quando uxore ignorante, aut sciente contra

3 Prima tamen conclusio sit. Proles habita ex parentibus voto simplici castitatis mutuo consensu astrictis, nullo modo est illegitima. Prob. ex *l.Filium 6. ff. de iis qui sunt sui vel alieni juris, & l.1. tit.13. p.4.* ubi deciditur filios legitimos esse, qui concipiuntur a parentibus vero matrimonio junctis, at talis est hæc proles. Et confir. quia prolem esse illegitimam est pœnale, & odiosum; atque ita nisi expressum sit in jure, minime id statuendum est. Eo vel maxime, quod culpa parentum minime liberis officiat præter casus in jure expressos, *c. De filiis pro parte, per totum.* Nec *c.Litteras, de filiis presb.* id statuit (ut n.7. declarabimus) & esto id statueret, loquitur postquam pater est ad sacros ordines promotus, in quo casu longe majus est delictum paternæ incontinentiæ, quod hac pœna plectitur: atque ideo trahi non potest ea decisio ad hunc casum. 2. quia tanta est vis matrim. ut prolem naturalem antea susceptam efficiat legitimam, *c.Tanta, qui filii sint legit.* & etiam utroque parente delinquente clam contrahendo, si impedimentum dirimens non sit, proles sit legitima. Cum ergo in hoc casu verum subsistat matrim. talis erit soboles, 3. quia major defectus est, ubi verum deficit matrim. & adest culpa alterius parentis conscii impedimenti, quam ubi vero subsistente matrim. delinquitur in usu, Quoniam duo impedimenta concurrentia in priori eventu sunt fortiora uno, quod invenitur in posteriori. Eo vel maxime, quod in priori desideratur verum matrim. quod radix, & fundamentum est legitimationis. Sed in priori eventu filii sunt legitimi: ergo a fortiori in posteriori. Et confir. quia fortior esse debet causa tendens ad favorem prolis innocentis, ob solam parentum culpam punitæ, quam tendens ad odium, & pœnam ipsius. Odia enim restringi, & favores convenit ampliari, ut habet *reg. Odia, de reg. jur. in 6.* Quarto, quia plus operari debet causa naturalis, & radix essentialis legitimationis, qualis est verum matrim. quam culpa parentum accidentaliter superveniens, *l. Qui habent in princ. ff. de tutel.* Atque ita tenent *Card. c. Dudum in opposit. post qu.3. in fin. de converf. conjug. Alex. de Nevo c.Tua, el 2. n.9. de jurejur. Mayronis 4. d.35. qu. un. in fin. Majoris 4. d.32. q.2. argum.2. contra 2. concl. fin.* Cujus sententiæ sunt etiam DD. quos n.7. referam, dicentes non esse prolem illegitimam, quando pater ad ordines jam est promotus. Et quamvis ibi dicemus prolem in eo eventu esse irregularem. At in hoc casu non est irregularis. Quia *cap. Litteras, de filiis presbyt.* in graviori delicto id statuit: ut dicebam in confirmatione ad 1. rationem pro hac sententia. Hinc fit minus bene dixisse aliquos n.1. allegatos hanc prolem esse legitimam. Peiusque errarunt, quos ibi retuli, dicentes esse spuriam. Quoniam (ut probavi lib.1. disp.2. nu.8.) filii habiti ex parentibus omnino solutis, voto simplici castitatis astrictis, non sunt spurii, sed naturales. Quia parentes valide possunt, quamvis sacrilege, inire matrimonium: nedum ubi verum adfuit matrimonium.

4 Secunda conclus. Si ante matrim. consummationem uterque conjux, aut alter transeat ad religionem, & professione facta, filium concipiat ex priori conjuge, soboles est spuria. Constat, quia jam omnino prius matrim. est solutum, nec potest validum inter parentes consistere matrim. impediente professione utriusque vel alterius, *Majol. de irregul. l.1. c.4. n.4.* Et conclusio est certa apud omnes. Non est autem idem dicendum, si vir tunc ad ordines sacros promoveatur. Quoniam cum non dissolvatur matrim. *Extrav. Antiquæ Jo. XXII. de voto*; idem judicandum est, sive ante consummatum, sive post, id accidat, ut bene advertit *Majol. eodem c.4. n.8.*

5 Tertia conclusio. Si post consummatum matrim. alter conjux altero ignaro, aut sciente contradicenteque profiteatur, & mox copulam habeat cum suo conjuge; proles omnino & quoad omnes effectus est legitima. Quia professio fuit invalida, *c.Quidam, & cap.Placet, de converf. conjug.* atque ita proli non præjudicat. Sic *Majolus l.1. de irregular. c.3. n.5.* Idemque dicendum est, si vir, constante matrimonio, sive rato tantum, sive etiam consummato, ad ordines sacros ignorante uxore, aut contradicente, ascendat. Quia licet ordines valide susceptí sint, at quia illegitime contra juris dispositionem, non possunt matrimonio, & soboli officere. Atque in hoc conveniunt nobiscum aliqui DD. ex n.2. relati: ut ibi adverti. Idemque sentit *Majolus eodem c.4. nu. 9.* ubi juncto *nu.7.* recte docet hoc procedere, sive professus conjux, aut sacris initiatus debitum reddat, quod sibi licitum est: sive petat, quod sacrilegum est, propter rationem traditam. Quare audiendi non sunt aliqui, qui teste *D. Ant. nu.4. allegato* dixerunt sobolem esse illegitimam, conceptam ex conjuge sic professo, aut sacris initiato.

6 Monuerim aliquos DD. quos retuli, id advertens n.2. asserere prolem esse illegitimam, si concipiatur, ex conjuge jam professo, aut ad sacros ordines promoto, altero conjuge sciente, & consentiente, aut non contradicente, sed taceente. At melius *Majolus d. c.4. n.6. 7. & 9.* censet in hoc casu prolem omnino esse legitimam: sicut nu.præced. diximus, quando id accidit altero ignaro aut contradicente. Quia ut legitime id fiat, non satis est ille consensus absque Episcopi decreto, qui connivere minime debet, nisi servatis, quæ jus præscribit.

7 Ultima conclusio. Probabilius esse existimo contra sententiam n.2. relatam, prolem susceptam post legitimam promotionem conjugis ad ordines, ex altero conjuge, vere esse legitimam. Hanc conclusionem probant omnes rationes adductæ n.3. Nec *c.Litteras, de filiis presb.* dicitur prolem hanc esse illegitimam, sed ex permissione posse ad ordines promoveri, ut constat ex ejus verbis, quæ n.2. retuli. At stat esse irregularem, & non illegitimam quoad successionem, & hæreditatem, & alias dignitates, quod statim magis explicabo. Hujus sententiæ videtur *Goffred. n.2. relatus*, ubi non dixit absolute hanc prolem esse illegitimam, sed quoad ordines, & dignitates, nempe, Ecclesiasticas, ut beneficia. Et tenent expresse *Rainer. summ. tit. de filiis presb. §. Sed pone, Anton. d. c.Litteras, n.7. ibi Abbas n.4. fin. Cardin. q.1. fin. Assen. summ. 2.p. l.6. t.22. art.3. q.5. Bellam. d. c.Litteras, n.3. vota qu.3. Majolus de irreg. l.1. c.4. n.9.* Atque idem dicit, & bene *n.7.* de prole suscepta ex conjugibus, qui professionem fecerunt matrim. jam consummato. Quia eadem est ratio, cum matrim. vinculum perseveret. At fatendum est prolem susceptam ex viro sic ad ordines promoto esse irregularem. Quod probat *d. c. Litteras*, & docent *ibi Gloss. v. Legitima, Hostiensis ad fin. super v. Permittimus, Jo. Andr. nu.6. Abbas n.7. Anton. n.2. Cardin. qu.1. fin. Rainer. Astensis proxime citati, Majolus d. c.4. n.9.* Atque idem recte dicit *num. 6.* de prole habita ex parentibus post matrim. consummatum professis. Quamvis enim textus non loquatur de illa, at ratio in illo expressa paternæ incontinentiæ fortius militat in hoc casu. Hinc deducitur intellectus ad *dict. cap. Litteras*, cum enim decidat sobolem hanc esse irregularem ad modum illegitimæ prolis, ob paternam incontinentiam, dicitur quodammodo illegitimam, nempe, quoad ordines, & beneficia: at vere legitima est quoad successionem, & alios honores. Ita explicant *Rainer. & Card. proxime cit. Anton. eodem c.Litteras num.7.*

Ad arg. n.1. proposita resp. Ad 1. dic, non esse matr. quoad licitum omnino usum, at esse ad hanc effectum, ut ea copula non sit fornicaria, qualis est inter solutos: & id sufficit ne proles sit illegitima. Ad 2. dic longe diversam esse rationem, Quia ibi desideratur veritas matrim. quæ fundamentum est legitimationis, nec confert ignorantia impedimenti. Quia non est adhibita diligentia, præmittendo publicas denunciationes. At in nostro casu est verum matrimonium. Ad argumenta proposita n.2. dic. Ad primum dic, invaforem cubilis uxoris, quia sacrilege contra votum accedit ad illam, non autem quod sit concubitus fornicarius, ut inter solutos. Ad 2. constat ex dictis n.præced. ubi explicui *illud c.Litteras.*

DISPUTATIO XXXIX.

Utrum possit vir irritare vota ab uxore ante matrimonium emissa: vel eo constante, sive sua licentia, sive tunc implenda, sive facta in tempus soluti matrim. licet sint vota castitatis, & religionis: votaque sic irritata a viro, minime revivescant soluto matrimonio?

SUMMARIUM.

Quot sint quæstiones disputandæ, n.1. & ibi remissive de dispensatione in votis conjugum castitatis servandæ.

Bifariam potest aliquis subjici, nempe, quoad materiam promissam, aut quoad voluntatis actum. Et quid differt inter hos modos, quoad potestatem irritandi vota, 2.

Refertur sententia asserens solum subjici uxorem viro ratione materiæ promissæ, virumque sola vota sibi præjudicantia posse irritare, 3.

Uxor subjicitur utroque modo viro, potestque vir omnia eius vota irritare; licet sint de rebus necessariis, ut non mentiendi, 4.

Quid, si votum sit eundi in subsidium Jerosolymitanum, 5.

Quid, de votis factis animo ingrediendi religionem ante matrimonii consummationem? remissive, n.6. & ibi, remissive, de voto religionis.

Quid, si alter conjux adulter sit, an possit innocentis votæ irritare: liceatque innocenti cum eo irritandi periculo remittere adulteri injuriam: vel ei qui non est matrimonio junctus, illud inire, si sciat fore ut alter conjux impediat vota implere, 7.

Quid celebrato divortio? & an liceat conjugibus redire ad pristinam amicitiam, cum eo periculo irritandi, n.8. & ibi remissive, quid de votis tempore divortii factis?

Solvuntur argumenta. Traditurque ratio, cur nequeat prælatus irritare votum religiosi transeundi ad perfectiorem religionem, 9.

Post n.9. invenies alia summaria.

HActenus de religione votorum conjugatorum disputatum est: Jam de remedio, quo potest illis consuli, disputandum est. Quod duplex est. Alterum dispensationis. De quo late differtum est l.8. Alterum irritationis. Et de hoc est disputandum in præsenti, & aliquibus seq. disp. Sunt igitur in præsenti disp.5. agitandæ qu. Prima, de potestate viri irritandi omnia vota uxoris, dempto castitatis voto, emissa in ito matr. pro tunc implenda. Secunda, de potestate irritandi votum castitatis eo tempore emissum, tunc que impl. ndum. Tertio, de irritatione votorum, quæ

quæ soluto matrimonio impleri debent. Quarto, de irritatione votorum, quæ ante matrimonium facta sunt. Quinto, num talia vota vere irritentur a viro, ita ut soluto matrimonio, non revivescant?

2 Quæstio I. Utrum vir possit irritare omnia vota uxoris, præter castitatis, constante matrimonio absque sua licentia emissa, & pro tunc implenda? Præmittendum est, bifariam posse quempiam alteri subdi, quo ad votorum irritationem spectat. Primo, non tantum quoad voti materiam, sed etiam quoad voluntatem, qua se voto astringit. Quod contingit, quando superior habet dominium aut quasi dominium voluntatis subditi, qua vovet, ut illam dirigat, ne imprudenter vota emittat. Quo pacto subditur religiosus suo prælato, & filius impubes patri. Secundo, tantum quoad voti materiam. Quia ea vovetur in superioris præjudicium, ut subditur filius pubes patri quoad vota realia. Constat enim non subdi quoad voluntatem. Nam tunc posset etiam personalia irritare, ut filii impuberis. Eo vel maxime, quod nec omnia realia irritare potest, sed sola emissa de peculio adventitio, in quo pater habet usumfructum, in eoque damnificatur. Punctus ergo difficultatis in eo consistit, num uxor subdatur viro, quoad solam materiam promissam: ac proinde sola vota de materia viro præjudicante emissa, possit vir irritare: an etiam quoad voluntatem qua vovet, atque ita possit vir omnia ejus vota irritare. Sicut prælatus potest omnia religiosi, & pater omnia filii impuberis.

3 Duplex est sent. Prima (& satis probabilis) ait subdi tantum ratione materiæ, ac proinde ea sola vota posse a viro irritari, quæ sibi ac domesticæ gubernationi præjudicant. Ducuntur primo. Quia vir non est caput spirituale uxoris, sed tantum politicum, sicut dominus servi, quem tamen constat sola sibi præjudicantia vota posse irritare. Et confir. quia uxor non est sub viri potestate, sicut impubes subditur patri, cujus voluntas est patris. Atque ita *Abbas c.Litteras, n.27. de restit. spol.* ait non ita subdi uxorem viro, sicut filium patri. Secundo, quia matrim. non ordinatur per se primo ultimate, nisi ad bonum prolis, & familiæ. Ergo uxor non subditur viro primario, & per se, propter gubernandam ipsius uxoris voluntatem, sed propter bonum prolis, & familiæ, ac subinde sola uxoris vota de rebus directe vel indirecte ad hoc pertinentibus poterit irritare. Tertio, specialiter probatur non posse virum irritare vota uxoris de rebus necessariis, ut de non furando, de non mentiendo. Quia vir non habet dominium in hanc materiam, ut constat, sed soli Deo subditur: nec in actum voluntatis quo uxor vovit. Quoniam ille est præteritus, & ad præteritum non est potentia. Quarto, probatur idem. Quia prælatus nequit irritare votum religiosi de transitu ad strictiorem religionem, factum: juxta omnes. Quia materia illa non subditur potestati superioris: ergo similiter nequibit maritus irritare votum non mentiendi uxoris. Cum materia hæc minus subdatur potestati viri. Et si dicas, posse hoc irritari ratione novæ obligationis superadditæ, eo quod superior, nempe, vir habeat dominium in actum liberum, quo ea obligatio imponitur per votum. Cur non idem dicemus in eo voto strictioris religionis? Quod si dicas, id evenire propter damnum tertii, nimirum religionis, ad quam est transitus, id dici nequit. Nam per votum non acquiritur jus tertio: alias non posset prælatus religionis in eo dispensare, quod minime verum est. Ideo hanc sent. videntur tenere *Inn. c.Scripturæ, ad fin. de voto, & ibi Host. ad fin. Jo. Andr. n.4. Ant. n.3. Card. q.14. Anch. nu.13.* ubi dicunt virum & uxorem in votis emittendis esse pares, & æque neutrum posse in alterius præjudicium vovere. Et tenent *Hugo c.Manifestum, 33. q.5. Vincent. speculo doctrin. t.2. l.9. c.86. Turrecr. d. c.Manifestum, n.2. & c.Sunt quædam 17. qu.1. nu. 9. Carthus. in c.30. Num. ad fin. vers. Sequitur de uxore, D.Ant. 3.p. t.1. c.22. §.1. fin. Angel Votum 2. nu.8. Sylvest. Votum 5. qu.1.* ut videtur sentire *Tabien. Matrim.1. q.3. §.4. fin.* ubi dicit uxorem teneri implere vota, quæ viro non præjudicant: secus de præjudicantibus: & tenent etiam *Mayronis 4. d.38. p.1. concl.2. Monald. summ. tr. de voto tit. De voto conjugat. vers. Quid si voveat mulier, Navar. summ. c.12. latin. n.64. fin. Hisp. nu.65. & cap.28. addit. ad num. eumdem, & Latin. eodem num.65. Margarita confes.* ubi de voti irritat. *fol.135. fin. & seq. Palac. 4. d.38. disp.3. fol. 987. Valent. 2.2. disp.6. qu. de voto, punct.6. in ult. diffic. de votis subditor. Lud. Lop. 1.p. instr. c.47. §.ult. Graffis 1.part. decis. l.2. c.29. n.8. & p.2. l.2. c.12. n.45.Ival. candel. sacram. 3.p. c.14. n.100. Philiarc. de offic. Sacerd. t.1. p.2. l.3. c.18. §.11. peccat Jo. Hessels in exposit. decalogi, cap.14. de 2.præcept. Ecclesiæ, Azor l.11. instit. moral. c.17. q.12.*

4 Secunda sententia (quæ probabilior est) ait posse virum irritare omnia vota uxoris constante matrimonio emissa, pro tunc implenda, si absque ejus licentia facta sint. Prob. ex *c.30. Num.* ibi: *Si maritum habuerit, & voverit aliquid, si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, propitius erit ei Dominus.* Et ne aliquis existimet sermonem ibi esse de solo voto abstinentiæ, *Septuaginta interpretes, Vatabl. Pagninus*, de omni voto vertunt, ac interpretantur. Et eodem modo intelligit *D. August. l.4. qu.59. in Num.* & refertur *cap. Noluit 33. qu.5.* ibi, *Noluit itaque lex mulierem aliquid vovere, ut non in aliqua rerum licitarum abstinentia, in ejusdem votis, feminæ valeat authoritas, sed virilis. Et cap. Manifestum, ead. q.5.* quod est D.August. *in ead. loco, ibi: Manifestum est ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla ejus vota, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi author vir fuerit permittendo.* Dicit autem, *Quæ abstinentiæ causa voverit*, ad distinctionem voti continentiæ, de quo est specialis difficultas: ut videbimus n.10. & seqq. Et clarius eodem modo intelligit locum illum *D. Ambros. lib. de paradiso, c.10.* & refertur *cap. fin. 33. qu.5.* ibi: *Evidentissime itaque apparet, ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ. vel religiosæ conversationis, liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre.* Et ratio est, quia quamvis quoad actum conjugalem, vir & uxor pares sint, at in ceteris vir est caput mulieris *Ephes.5.* Et mulier est sub viri potestate. *Gen.3.* Omnes autem actiones corporis capiti subduntur, ab eoque gubernantur. Unde fit, ut viri sit dirigere, & gubernare voluntatem uxoris, ne imprudenter voveat. Quare hac de causa subdidit Deus ejus voluntatem viro. Quia mulier est levis, imprudens, & facilis in votis emittendis: Ergo habet dominium, vel quasi, in uxoris voluntatem, & non tantum in materiam promissam, ac proinde poterit omnia ejus vota irritare: sicut prælatus religiosi, & pater filii impuberis. Hujus sent. videtur expresse *D.Th. 2.2. q.88. ar.8. ad 3.* ubi hæc ait: *Quia nullum tempus est exceptum, in quo prælatus non possit subditum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris: nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Ecce quam clare id sentiat *D.Th.* dicens nullum votum uxoris est firmum, & irrevocabile, nisi de consensu viri emittatur: & æquiparat uxorem in vovendo, religioso, cujus omnia vota posse prælatum irritare, dubitat nemo. Idem videtur sentire *gl.d. cap.Manifestum, v.Nisi author*, ubi dicit conjuges non esse pares quantum ad votum abstinentiæ emittendum. Et mox relata Hugonis sententia dicentis uxorem vovere posse, quæ non cedunt in viri præjudicium, concludit canonem illum indistincte loqui de votis. Atque ita aperte sentit posse virum omnia uxoris vota irritare, licet sibi non præjudicent. Et clarius videtur ibi tenere *Gratian. §. Ex præmissis*, ubi solum votum continentiæ excipit, eo quod pares sint conjuges, quoad debitum conjugale. Concluditque hoc esse propter conditionem servitutis uxoris, quæ in omnibus debet viro subesse. Idem videtur tenere *Gloss. ordin. Num.30. fin. vers. Uxor in domo*, & ibi *Hugo Card. ad fin. lit.K.* ubi dicunt ulla vota abstinentiæ uxoris esse firma sine viri consensu: Sumunt enim votum abstinentiæ, ut includat omnia vota præter continentiæ votum. Et videtur tenere *D.Bonav. 4. diff.32. in exposit. litt.n.4.* ubi ait virum, quoad omnia præesse uxori, præter legem thori: & hac ratione posse virum irritare omnia vota abstinentiæ, non vero continentiæ uxoris. Idem videtur expresse tenere *Durand. 4. d.38. q.1. art.1. n.7.* ubi ait neutrum conjugem sine alterius consensu posse vovere non reddere: quia sunt pares. Et subdit hæc: *Quia tamen vir in ceteris est caput mulieris, & ideo sui juris, mulier autem sub potestate viri: ideo licet vir sine consensu mulieris, emittere votum de ceteris, sed mulieri non licet sine consensu viri.* Atque posse virum irritare omnia uxoris vota, excepto voto moderatæ eleemosynæ, tradunt *Abb. c. Scripturæ, n.8. de voto, Palud. 4. d.38. q.3. ar.1. concl.6. num.10. Abulens. cap.30. Num. qu.84. Rojell. Votum 2. nu.8. & 10. Suppl. Gabr. 4. d.32. q.un. ar.2. concl.7.* Et posse omnia præter votum de rebus necessariis, ut de non mentiendo, tenet *Angl. florib. 2.p. qu. de voto, art.7. diffic.9.* Denique hanc sent. tenent expresse *Major. 4. d.38. qu.4. dub.2. quod incipit. Dubitatur, qui possint vovere, vers. Quartæ personæ. Sot. lib.7. de just. qu.3. art.1. vers. at vero sicut, Brunel. de sponf. concl.30. n.14. Alcozer summ. c.16. f.56. pag.2. concl.5. Stunica de voto, q.3. n.74. Manuel 2.t. sum. cap.90. n.9. Arag. 2.2. q.88. art.8. fol.1020. Emm. Sa sum. v.Votum*, ubi de voti irritatione, §.1. *Petr. de Led. de matrim. q.64. art.4. dub.2. concl.1. Vega 2.t. sum. c.129. cas.93. & 94. fin.* & dicit tutam, & probabilem, *Lud. Lop. n.præced. pro priori sententia allegatus.* Quod verum est, quamvis votum uxoris sit de rebus necessariis, ut de non mentiendo: potest enim vir ea vota irritare. Quia quamvis ejusmodi materia non sit viro subdita, quatenus ad eam est uxor præcepto obligata, est tamen subdita, quatenus ad eam nova se obligatione voto astringit. Viri enim videre est, expediat necne uxorem eo novo voti vinculo obligari. Potest enim imprudenter id promittere. Ita *Sotus, Stunica nu.75. Arag. Manuel Vega eo cas.94. fin. proxime citati*, & dicit esse valde probabile *Lud. Lop. ibidem.* Et tenet etiam *Petr. de Led. ea concl.1.* Et saltem plura vota posse virum sine licentia uxoris emittere, quam uxorem sine licentia viri, probavi hoc lib.10. disp.3. n.7.

Quidam excipiunt votum peregrinationis uxoris in subsidium Jerosolymitanum. Sed de hoc late egi hoc lib. disp.4. n.17. ubi id reprobavi. 5

Alii excipiunt vota ab uxore facta post matrimonium ratum, ante illius consummationem, animo ingrediendi religionem. Sed de hac exceptione videbimus, quid sentiendum sit hac disp. n.20. Et de voto religionis dicemus n.19. 6

Rursus alii temperant, nisi vir notoriam fornicationem corporalem, aut spiritualem admittat, tunc enim dicunt non posse virum irritare vota uxoris etiam sibi præjudicantia. Sic *Graffis 1.p. decis. l.2. c.29. n.8.* & posset aliquis existimare esse sententiam *Navarr. summ. c.12. Latin. num.64. Hisp. num.65.* Sed revera id non sentit *Nav.* quid vero ibi dicat, videbimus 7

disp. 42. nu.8. Potest autem esse fundamentum hujus sententiæ, Quoniam perdit jus petendi debitum a conjuge innocente, ac proinde dominium in corpus ac voluntatem ipsius. Verum si hæc limitatio esset vera, idem dicendum esset de fornicatione occulta, per quam pariter idem jus amittitur. Quare dicendum sic est, si conjux innocens velit jure suo utens a nocente recedere, non poterit adulter ejus vota irritare, ut probat ratio posita. At si nolit eo jure uti, sed maritaliter vivere, poterit utique. Quia (ut probavi l.1. disp.68. n.4.) alter conjux adulter non omnino perdit jus, sed in favorem innocentis, si ipse velit eam exceptionem opponere poterit eoque jure uti. Quare dum innocens non eo jure utitur, poterit alter vota irritare. Atque idem dicendum est, quando uxor esset adultera, vir autem innocens, circa potestatem, quam habet uxor irritandi vota sibi præjudicantia a marito facta: eodem enim modo distinguendum est. Quia eadem est ratio. Imo nec innocens poterit irritare vota nocentis, si velit ea gaudere exemptione, ut n seq. explicabimus: ubi & dicemus, an uxor, quo possit adimplere vota, teneatur non conciliari viro, sed suo jure uti.

8 Tamdem excipiendum est, nisi legitime celebretur divortium ob fornicationem alterius. Nam eo durante neuter poterit alterius conjugis vota irritare, quæ ante divortium poterat. Probatur ex *c.* 30. *Num.* ibi: *Viduæ & repudiatæ quicquid voverunt, redent*. Ubi ait *Abulensis* ea verba explicans, idem jus esse quoad vota de viduis & repudiatis. Insuper probatur conjugem adulterum non posse irritare. Quia amisit jus in innocentem, ita ut innocens ipso invito possit ad religionem transire, *c.Agathosa*, 27. *q.*2. Constat etiam ex *cap.Venient, de converſ. conjug.* ibi: *Super revocatione ipsius, nullatenus est audienda*. Nec posse etiam innocentem durante divortio irritare vota nocentis, inde constat. Quia durante divortio cedit jure suo, ac liberat conjugem reum a servitute & subjectione. Et tamen est differentia inter utrumque, quod innocens potest alterum invitum sibi reconciliare, ad pristinamque servitutem redigere, atque ita vota ejus tunc irritare, quæ ante divortium poterat. Reus autem minime id poterit, nisi alter reconciliationem admittat. At facta reconciliatione, sive mutua voluntate, sive ob recompensationem mutuæ fornicationis, quando tunc amittit innocens jus divortii, integrum erit utrique ea alterius vota irritare, quæ ante divortium poterat. Quoniam jam res omnino ad pristinum statum est restituta. Dubitabis autem: num innocens possit eam reconciliationem admittere, vel si non celebravit divortium, nolle uti jure suo, quo vota impleat, nec irritentur. Et non ago de voto religionis aut castitatis, causa quo tunc obligarent: quia lib.hoc disp.6. num.14. dixi esse peccatum remittere. Sed de ceteris votis est quæstio. Nam *Angelus Votum* 2. *n.*12. ait ream esse mortalis culpæ mulierem ineuntem matrimonium, adverentem illud fore sibi impedimento, ne vota expleat. Sicut esset mortale aliud impedimentum admittere. Sed rigida est sententia: & ideo dicendum est in neutro casu culpam reperiri. Quia vota castitatis, & religionis directe opponuntur matrimonio, illudque excludunt: quare ea vovens, se obligavit ab eo ineundo abstinere, & si semel iniit, eo non uti, quando sibi licitum fuerit ea vota implere. At cetera vota non excludunt matrimonium, nec illi adversantur, quare durum esset obligare ad vitam cœlibem, conservandumque divortium, quo ea expleantur. Cum longe difficilius sit hoc, nec in voto aliquo modo claudatur. Confertque ad hoc doctrina, quam tradidimus disp.34. n.3. ubi diximus voventem castitatem non teneri ante matrim. consummationem ad religionem transire, propter multo majorem difficultatem supervenientem. De votis autem tempore divortii factis dicam n.41.

9 Ad argum. n.3. proposita resp. Ad 1. dic, non esse opus ad irritandum, ut vir sit caput spirituale, sicut pater non est caput spirituale filii. Nec uxor subditur viro ut serva domino. Quia non subditur illi, ut dirigat ac gubernet ejus voluntatem dominus, sed quoad ministeria corporalia ipsi domino exhibenda, quæ in ipsius utilitatem sunt. At uxor plene subditur viro, ut ejus voluntatem gubernet. Ad confirm. negatur antecedens. Imo eo pacto subditur, quoad ejus voluntatem gubernandam, & dirigendam: quamvis in aliis sit differentia. Potest enim pater necessitate oppressus filium distrahere: vir autem uxorem minime. Atque filius est in omnibus subditus, uxor autem socia, & æqualis quoad debitum conjugale. Ad 2. dic, licet matrim. non ordinetur per se primo ad hoc: eo ipso quod viro nubit uxor, ipsam illi plene subdi, ut ab illo dirigatur, sicut membra suo capiti subduntur. Ad 3. dic, licet vir non habeat potestatem in illum actum, ut præteritus est, illum tamen eam habere, quatenus inducit obligationem de præsenti, in ordine ad illam irritandam. Quoniam cum haberet potestatem super voluntatem uxoris, tempore, quo vovit, & ejus actus liberos, non potuit uxor sine viri consensu talem obligationem ita sibi imponere, ut a viri voluntate irritare volentis non pendeat. Ad 4. dic, in eo consistere discrimen: quod cum superior in tantum habeat dominium supra actus subditi, in quantum persona illius est sibi subjecta: in eo eventu, in quo persona subditi juste eximitur a dominio, & potestate superioris, votum se eximendi ad implendum opus consilii subjacebit superiori. Quia per illud ab ejus potestate liberatur. Et tale est votum religiosi, transeundi ad arctiorem religionem. At per cetera vota non eximitur persona a superioris potestate, & consequenter, nec actus ejus liber, quo manens in subjectione, se obligavit. Quam solutionem colligo ex doctrina *Innoc. c.Scripturæ, de voto n.3. verſ.Si ed nobis, & ibi Ant. num.*3. ubi docent patrem posse irritare omnia vota personalia filii, etiam puberis excepto religionis voto. Exceptionisque hujus eam rationem reddunt, quod patria potestas impediebat efficaciam aliorum votorum, voti vero religionis minime. Quia est votum licite se eximendi ab ea potestate.

SUMMARIUM.

*An vir possit irritare votum castitatis ab uxore sine sua licentia, constante matrimonio emissum, pro tunc implendum. Refertur sententia negans, n.*10. *& ibi remissive, quid si voto astricta uxor fornicetur.*

Potest vir irritare id votum non petendi uxoris, 11.

*Similiter potest votum absolutum castitatis sic emissum irritare, ita ut tunc uxor fornicans non sit rea voti, nec teneatur ab alio matrimonio, eo soluto, abstinere, numer.*12. *& ibi, remissive, quando ante consummationem matrimonii factum est.*

Solvuntur argumenta, 13.

Postquem invenies alia summaria.

10 QUæstio II. An vir possit irritare votum castitatis, constante matrimonio ab uxore, absque sua licentia emissum, & pro tunc implendum? Negant aliqui posse. Ducuntur, quia *cap. placet, de converſ. conjug.* deciditur uxorem absque viri licentia professam, ab ipsoque revocatam, teneri non exigere. Quia quantum ad id est sui juris, & se potuit obligare. Secundo, quia vir non habet dominium in uxorem in ordine ad actum conjugalem, sed quoad eum sunt pares *c.Gaudemus, de divort. e Si quis uxorem*, 32.*q.*1. Nec vir est caput mulieris quoad eum actum, ut bene docet *Durand.* 4. *diſt.*38. *q.*1. *art.*1. *n.* 7. Ergo nullo modo poterit votum uxoris circa eum actum emissum irritare. Sic docent *D.Bonav.* 4. *diſt.*32. *in expoſit. lit.* n.4. *Gloſſ. c.Manifestum* 33 *qu.*5. *v.Nisi author*, ubi *Hugo & Archid. in fin. Hugo Card. Num.*30. *ad fin. lit.* K. *Vincent. in Speculo doctrinali*, *t.*2. *lib.*9. *c.*86. *fin. Palud.* 4. *d.*38. *q.*4. *art* 2. *concl.*5. *nu.*23. ubi *Mayronis p.*1. *concl.*2. *Cajet. summ. v.Votum*, *c. De conditionibus ex parte voventis*, §. *Et scito. Et opusculis*, *t* 1. *tr.* 31. *septemdecim responsionum*, *respons.* 14. *dub.*4. *Sylvest. Votum* 4. *qu.*2. *diſt.*4. *Navarr. summ. cap.*12. *num.*64. *Hisp. nu.*65. (de limitatione, quam apponit, nisi tali voto attrictus fornicetur, dicam disp.42. num.8.) *Ledesf.* 2.*p.* 4. *qu.*66. *ar.*4. *fin. Palacios* 4. *diſt.*32. *disp.*2. *fol.* 717. *col.*1. *Angles Floribus* 2.*par. quæst. de voto*, *art.*7. *diffic.*9. *Petr. de Ledesf. de matrim. quæst.*64. *art.*4. *dub.*2. *concl.*1. *Valentia* 2.2. *disp.*6 *q.*6. *de voto*, *punct.*6. *qu. ultim. de votis subditorum*, §. *Existit autem*, *Lud. Lopez part.* 1. *instr. cap.*47. *fin. Joan. Hesseles in expoſit. decalogi*, 2. *præcept. c.* 14. Et est latis probabilis hæc sententia.

11 At probabilius est posse virum irritare id votum non petendi debitum ab uxore factum. Probatur ex *c.*30. *Num. & ex D. Auguſt. lib.* 4. *qu.*59. *in Num.* & refertur *c.Manifestum* 33. *qu.*5. cujus verba retuli nu.4. Quod si dicas, ibi sermonem esse de voto abstinentiæ, *Abb. cap. Chariſſimus*, *n.*5. *de converſ. conjug.* hoc rejicit, probatque nomine abstinentiæ claudi continentiam, per *c. Si tu abstines* 27.*q.*2. ibi: *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam*. Deinde, quia quamvis vir & uxor sint pares, quoad libertatem non petendi, & obligationem reddendi, & ita materia illa non sit viro subjecta, at quoad illam novam obligationem, quæ accidentaria est, uxor subditur viro tanquam capiti, cujus est voluntatem ipsius dirigere, ne prudenter voveat. Et confirmatur, quia hac ratione num.4. fine probavimus votum de rebus necessariis posse irritari a viro, cum tamen ea materia minus subdatur viro, quam hæc. Ideo hanc sententiam videntur tenere *D.Th.* 2. *diſt.*32. *in fin. in expoſit. lit. Magistri, & ibi Palud. q.*2. *ar.*2. *n.*17 ubi dicunt posse virum revocare votum castitatis emissum ab uxore sine ejus licentia. Et docent *Jo. de Friburg. summ. confessor. l.*1. *tom.*8. *qu.*35. *Sotus* 4. *diſt.*32. *qu.*1. *art.* 3. *post* 1. *concl. verſ.Virum autem*, *Et lib.*7. *de justit. qu.* 3. *art.* 1. *verſ. an vero possit alteruter*, *Aragon.* 2.2. *qu.*88. *art.*8. *fol.*1021. *Navar. summ. c.*12. *n.*60. *Stunica de voto*, *qu.*3. *nu.*59. *Guttierqu. canon. lib.*2. *cap.*22. *num.*49. *Philiarc. de offic. sacerdot.* 1.*part. lib.*3. *cap.*4. §.*Excipitur in conclusione*, *Manuel* 1.*tom. summ.* 2.*edit. c.*243. *num.*8. & 2.*tom. cap.*90. *num.* 3. *Anton. Gom. super bullam Cruciatam*, *claus.ul.* 10. *n.*67. *Vega* 2.*tom. summ. c.*129. *cas.*22. & 93.

Imo idem dicendum existimo, licet votum sit continentiæ absolutæ, potest enim vir illud omnino irritare; Quia militat eadem ratio. Nam illa nova obligatio, qua uxor absque viri consensu se astrinxit, subditur viro. Atque ita *Jo. de Frib. Guttier. Anton. Gomez*, *Vega*, dum loco nu. præced. allegato dicunt posse virum irritare hoc votum, loquuntur expresse de voto continentiæ. Unde infero ea irritatione facta, uxorem adulterantem non esse sacrilegam fornicando, nec soluto matrimon. teneri ab aliis nuptiis abstinere: ad quæ votum obligabat. Quia irritatione extinctum est. (Quando vero ante consummationem matrim. factum est, dicemus num.20.) Idque votum

votum sic irritatum non reviviscit: ut dicemus n. 37. & 38.

13 Ad aargum. n. 10. proposita resp. Ad 1. dic eum textum nil probare. Tum, quia vir non omnino irritavit votum, revocando ad se uxorem, sed tantum quoad obligationem ad religionem. Tum etiam (quod verius existimo) quia tantum revocavit a monasterio, non utens irritatione: sed quia professio non tenuit, tanquam facta in viri præjudicium. Et ita textus dicit: *Licet votum ejus usquoquaque non tenuerit*, & clarius *cap. Quidnam, eod. tit.* ibi: *Votum non tenuit*. Ad 2. constat ex dictis nu. 11. quamvis enim non habeat dominium in eam materiam, habet in voluntatem, qua se obligat.

SUMMARIUM.

An vir possit irritare vota uxoris sine sua licentia facta, impleuda tempore soluti matrimonii: & generaliter de votis ita factis a quibuscumque subditis, dilatis in tempus quo cessabit superioris potestas, an possint a superiore irritari. Refertur duplex sententia, n. 14. & 15.

Sententia affirmans Authoris, 16.

Quid, de voto servi in tempus dilato, si donatus fuerit libertati, 17.

Quid, de voto castitatis uxoris tempore soluti matrimonii, num. 18.

Quid, de voto religionis sive tunc implendo, quando matrimonium nondum est consummatum, vel implendo tempore soluti matrimonii, num. 19. *& ibi quid de voto religionis facto ab impubere, implendo post pubertatem.*

Quid, de ceteris votis factis ante matr. consummatum, animo ingrediendi religionem, vel simul promittendo religionem, & in ea illa implere: vel absque tali animo, n. 20. *ubi quid de voto castitatis.*

Solvuntur argumenta, nu. 21. *post quem invenies alia summaria.*

14 QUæstio III. Utrum possit vir irritare vota uxoris, sine sua licentia emissa, implenda tempore soluti matr. Ut generaliter de omnibus subditis quæstionem hanc disputemus, est triplex sent. Prima ait nullum superiorem posse similia vota irritare. Quia superior potest irritare vota, eo quod sit dominus materiæ promissæ, & non ratione qua superior est, nisi quatenus persona vovens esset materia voti, sed in hoc eventu votum emittitur pro tempore, quo nec vovens, nec materia voti, erit sub potestate superioris: ergo non poterit irritare. Secundo, specialiter probatur de voto religionis facto tunc pro tempore soluti matrim. Quia cum sit votum per quod vovens eximitur a potestate superioris, videtur idem dicendum de illo, ac de voto religiosi transitus ad arctiorem religionem. Quod n. 9. hac ratione diximus irritari non posse. Et ideo hanc sent. sustinent *Cajet.* 2. 2. *q.* 88. *ar.*8. *dub.pen. de superioribus in genere habentibus irritandi potestatem, immediate ante* 5. *in solut. ad* 3. *Angl. Votum* 2. *fin. Navar. summ. cap.*12. *n.*66. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *ar.*8. *fol.* 1021. *Angles Floribus* 2.*par. q. de voto*, *ar.* 7. *diffic.* 8. *concl.*2. & *post diffic.*9. *dub.*1. *concl.* 2. & *post diffic.* 12. *dub.* 5. *concl. un. Lud. Lop.* 1.*part. instr. cap.*28. §.*Vota semel irritata*, *Manuel* 2. *t. summ. c.*89. *nu.* 8. & 90. *num.* 10. Et loquuntur expresse in nostris terminis *Arag. Cajet. Angl. & Manuel*, & dicentes non posse virum irritare vota uxoris in tempus soluti matrim. facta. Et est satis probabilis.

15 Secunda sent. utitur hac distinctione. Aliqui sunt subditi non tantum quoad materiam promissam, sed etiam quoad voluntatem, ita enim eorum voluntas pendet a superiori, ut nec velle, nec nolle habeant, nec possint disponere de spectantibus ad personam, quia traditi sunt superiori ad regimen voluntatis. Quales sunt religiosi respectu sui prælati, & filii impuberes respectu patris. Alii vero sunt tantum subditi quoad materiam promissam, nempe quoad aliqua obsequia, & aliquod regimen. Quales sunt servus domino, uxor viro, filii puberes patri. Priorum ergo subditorum vota facta ad tempus solutæ potestatis, possunt superiores irritare: posteriorum vero minime. Probat. prior pars. Quia paterna potestas irritandi vota præcipue collata est ad gubernandam voluntatem impuberis adhuc imperfecte utentis ratione, quæ errare potest non minus circa obligationes implendas post pubertatem, quam circa implendas dum est impubes. Et religiosus eadem ratione omnem sui potestatem tradit prælato, ut eum vice Dei quoad omne tempus gubernaret. Posterior pars probatur. Quia illi superiores non habent potestatem in vota propter favorem subditorum, bonamque illorum gubernationem, sed præcipue propter conservandam suam potestatem, maxime quoad res, in quibus sunt superiores: ac subinde irritare non potuerunt vota suæ potestati minime præjudicantia, qualia sunt implenda tempore quo subditi sui juris erunt. Et confirmatur, quia absurdum dictu videtur posse dominum irritare votum, quod servus emiserit in tempus quo libertate donatus fuerit. Ideo hanc sententiam tenet *Silv. Votum* 4. *q.*2. *diſt.*5. unde male *Sotus n.seq. allegand.* cum refert, *Religio*, 2. *q.*15. *fin.* quia universaliter teneat omnes superiores posse ejusmodi vota irritare. Nam tantum ibi loquitur *Silvest.* de voto impuberis implendo tempore solutæ patriæ potestatis: & ita non sibi contrarius est. Idem teneat *Emman. Sa sum. v. Votum*, ubi de voti irritatione, §. *Votum impuberis*; *Valent.*2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *de voto*, *punct.* 6. *quæst.* 5. Et loquitur expresse *Silvester* de viro, & uxore: & hæc sent. est etiam valde probabilis.

16 Tertia sententia (quam probabiliorem reputo) ait posse omnes superiores ea vota irritare. Quia tempore quo votum illud emittitur, voluntas illa subditi est sub potestate superioris, quantumcumque executio in aliud tempus differatur. Et confirmatur, quia licet executio pendeat in futurum, at talis voti gravamen, & obligatio præsentia sunt. Deinde, quia sequitur ex tali voto præjudicium superiori, nam tempore quo est vere superior, & alteri subditus, eum non recognoscit, vovens sine ejus consensu. Tandem prob. specialiter de viro respectu uxoris, in quo casu hæc opinio est multo certior. Quia uxor non tantum subditur viro rationemateriæ promissæ, sed ratione voluntatis, qua vovet, ut vir ejus imprudentiæ & imbecillitati consulat (ut diximus n.4.) tam imprudenter autem potest vovere uxor pro tempore, quo sui juris erit, sicut pro nunc. Atque ita docent *Sotus lib.*7. *de just. q.* 3. *ar.*1. *paulo ante solut. ad argumenta*, *Alvozar sum. c.*16. *de votorum in genere irritatione*, *concl.*9. *fol.*55. *par.* 1. *Lud. Lop.* 1. *par. instr. c.* 50. *paulo post princ. Vega* 2. *tom. sum. c.*29. *cas.*20. Et de votis uxoris tenet *Sotus de voto*, *qu.* 3. *n.* 86. & multi alii Neoterici doctissimi.

17 Quamvis autem *Sotus ibid.* dicat idem de voto servi emisso in tempus quo libertate donatus fuerit: & *Ludov. Lop.* dicat se esse ancipitem. At credo excipiendum esse a doctrina nu. præc. tradita, & ita dominum non posse irritare id votum servi. Quia dominus nulla ratione potestatem habet irritandi vota servi, in favorem ipsius servi, ut ejus imbecillitati, & imprudentiæ consulat, sed omnino in bonum, & utilitatem domini, ne damnum ex eo voto sentiat. Quod in votis sic emissis locum non habet. Secus autem contingit in aliis superioribus. Et docent *Abulensis cap.*30. *Num.*q.91. Et hoc tandem tenet *ipsemet Lud. Lop. ibid.*

18 Excipit etiam *Ludov. Lop. num.*16. *allegatus*, votum castitatis factum ab uxore, pro tempore quo sui juris erit, implendum: aitque non posse a viro irritari. Cum tam dubium sit, an irritari possit, quando constante matrim. est emissum, pro tunc implendum (ut vidimus n. 10.) At melius *Sotus & Stunica*, *num.*16. *allegatis*, dicunt posse id votum irritari. Qui voluntas uxoris dum id promittit, est sub viri potestate, ab eoque gubernanda, ne imprudenter voto se alliget, potest autem imprudentia reperiri in promittenda castitate in tempus soluti matrim.

19 Quæstio autem gravior est de voto religionis. Nam fortiter urget argum. 2. propositum n. 15. Sed sic distinguendum existimo. Si id votum emissum sit ab uxore post initum matrim. ante illius consummationem, pro tunc implendum, re manifesta est non posse irritari a viro. Quia est votum per quod eximenda est uxor a viri potestate, dissolvendumque est matrim. Atque ideo habet se instar voti facti a religioso, transeundi ad strictiorem religionem. Si vero emissum esset in tempus soluti matr. sive matr. non consummato, sive consummato. posset vir irritare. Atque ita *Sotus & Stunica n.*16. *relati* asserunt votum religionis in tempus soluti matr. posse a viro irritari: nec distinguunt, emissum sit necne ante matrim. consummationem. Et ratio n. præcedenti adducta id probat. Et ratio disparitatis est inter hoc votum, & votum religiosi transitus ad strictiorem religionem. Quia per hoc votum religiosus omnino eximitur a potestate illius superioris, jusque hujusmodi exemptionem concessit, in qua re voluntatem subditi minime subjecit superiori. At per illud uxor non est eximenda a viri potestate: cum ea jam soluta implendum sit: ac ejus voluntas constante matrimonio est omnino sub viri potestate, ab ipso gubernanda, præterquam quoad transitum ad religionem ante matrimonii consummationem. Sed objicies, hinc sequi, non posse patrem irritare votum religiosis filii impuberis, implendum post pubertatem. Quia per transitum ad religionem est eximendus a patria potestate, sub qua erat adhuc pubes factus, quando votum executurus erat. Neganda est sequela, & dicendum, posse id votum irritari. Quia per illud non eximitur filius a dominio paterno, quod habebat in ipsius voluntatem tempore quo impubes erat, ad gubernandam ejus voluntatem circa vota personalia: sed pubertate adveniente, quando votum implendum est, ab eo liberatur, quamvis ad religionem minime transeat, & ideo dispar est ratio de voto religiosi. Sed quid, si uxor erat impubes, malitia supplente ætatem, & vovit religionem ante matrimonium consummatum? dicam disp.41. n. 8.

20 Tandem dubitabis, quid dicendum sit de votis ab uxore emissis ante matr. consummatum, animo transeundi ad religionem factis? Et quidem de voto ipso religionis jam dixi nu. præc. De ceteris autem votis est difficultas. Quidam asserunt non posse irritare a viro, secus si absque eo animo emissa sint. Sed ego non video differentiam. Quia animus ille cum non cadat sub voto, minime voti naturam immutat, nec viri potestatem, quam per matrimonii contractum in uxoris voluntatem acquirit, aufert. Imo existimo quamvis tunc uxor voveret transitum ad religionem, & alia vota in illa implenda, posse illa vota irritare, permanente voto transeundi tunc ad religionem. Quod nu. præced. irritari nequaquam posse diximus. Ducor, quia ea vota tempore subjectionis emissa sunt, & dum subjecta est, irritantur, nec per illa eximitur a viri potestate. Sicut si religiosus voveat transitum ad strictiorem religionem, & alia vota

vota implenda in illa, potest prælatus hæc vota irritare, illud vero minime. Sed oppones, si votum castitatis tunc irritet vir, & ita consummetur matr. jam non posse uxorem ad religionem transire. Dic hoc non obstare. Quia licet auferatur obligatio voti castitatis, adhuc manet votum transeundi ad religionem, quod obligat ad non consummandum, ne ingressus religionis impediatur. Quod si votum religionis non sit emissum, sed solus animus ingrediendi assuerit, non tenetur ex voto castitatis ad religionem, nec ex eo animo (ut diximus disp. 34. n. 3. & 4.) Atque ita non obstabit irritationi illius voti, impedimentum ingrediendi religionem. Unde sit ut eo voto castitatis irritato, possit consummare uxor sive petendo, sive reddendo, etiam priori bimestri, nisi votum religionis obstet: quod si illud emiserit, peccabit primo consummans contra votum religionis, non autem contra votum castitatis. Et si tunc adulteretur, non erit sacrilega adversus votum. Quia omnino extinctum est per irritationem: perinde ac extingui diximus n. 12. quando matrim. consummato emissum est.

21 Ad argum. num. 14. proposita, Ad 1. dic sufficere ut persona vovens sit subjecta, & materia voti tempore, quo illud emissum est, quamvis obligatio executionis sit dilata in tempus libertatis. Quia verificatur tempore subjectionis esse subditam materiam vinculo illius voti, & ex tunc illo obligari ad exequendum tempore libertatis. Ad 2. constat ex dictis n. 19.

SUMMARIUM.

An vir possit irritare vota uxoris ante matrim. facta: proponuntur argumenta probantia partem negantem, n. 22.

Potest, & remissive an sit vera irritatio, ita ut non reviviscant, n. 23. & ibi, remissive, quid quando tempore divortii facta sunt.

An peccet vir irritans, quando de consensu patris emissa sunt, 24.

An habeat verum in solis votis viro præjudicantibus, 25.

Quid, in voto dandi eleemosynam, n. 26. & ibi, remissive, quid, quando hæc, & cetera vota facta sunt ante matrim. existente muliere sub alterius potestate.

Quid in voto castitatis, n. 27. & ibi de votis de rebus necessariis, & remissive, quando facta sunt hæc omnia vota tempore divortii; vel ubi uterque vovit continentiam aut religionem.

Quid, in voto religionis, num. 28. & quid, si factum sit tempore divortii.

An peccet mulier nubens, sciens fore ut non possit implere vota; remissive, 29.

Quid, de obligatione facta homini per uxorem ante matrimonium, 30.

Solvuntur argumenta, nu. 31. Post quem invenies alia summaria.

22 QUæstio IV. An possit vir irritare vota uxoris ante matr. emissa? Et quidem pars negativa inde suaderi videtur. Quia ea vota sunt omnino independenter a viro facta: cum tempore quo emissa sunt, non fuerit uxor illi subjecta. Secundo, quia obligatio illa voti jam erat Deo acquisita, juri autem acquisito non potest vir derogare, ut non posset obligationem hominis factam per uxorem ante matrimonium irritare.

23 Ceterum dicendum est, posse virum irritare ea vota: loquor hic termino irritationis, quia eo utuntur Doctores, quos referam hic, quamvis sentiam cum aliquibus illorum, eam non esse irritationem, sed suspensionem pro tempore constantis matr. & ita eo soluto revivíscere (quod n. 39. explicabo) probatur ex *D. Aug. lib. 4. q. 56. in Num.* & habetur *c. Noluit, 33. q. 5.* ibi: *Ita si adhuc innuptæ concesserat pater vota persolvere, si antequam persolverit, nupserit & viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat, & hoc omnino sine peccato.* Et rationem trademus num. 25. Et videtur tenere *Hostien. summ. tit. De voto, §. Quis vovere possit nu. 7. vers. Uxor etiam, Anton. c. Scripturæ, nu. 3. de voto*, ubi *Abbas num. 8. Cardin. qu. 15. Anch. num. 14. Henric nu. 6. D. Anton. 3. t. p. 1. c. 22. init. Rosell Votum 2. n. 7. Angl. Votum 2. n. 11. Lex 8. t. 8. p. 1.* ubi dicunt uxorem non debere implere vota ante matrim. facta, contradicente viro. Et docent expresse *Hugo & Arch. c. Noluit, n. unic. & ibi Bellam. statim in princ. Turrec. c. Sunt quædam 17. q. 1. nu. 9. Vincent. in speculo doctrin. to. 2. l. 9. c. 86. Silvest. Votum 4. q. 2. dict. 1. Abul. c. 6. Matth. q. 149. Nav. sum. Lat. c. 12. n. 65. fin. Hisp. addit. ad eumdem n. Monal. sum. tract. de voto tit. De votis conjugator. vers. Sed nunquid possunt, Alex. in Enchir. 2. par. de potest. confessor. c. 5. n. 155. Philiar. de offic. Sacer. to. 1. p. 2. l. 3. c. 4. §. Sed major difficultas, Arag. 2. 2. q. 88. ar. 8. f. 1020. Azor. lib. 11. instit. mor. c. 17. q. 14. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. de voto, pun. 6. q. ult. de votis subditor. Graffis 2. par decis. l. 2. c. 12. n. 45. Man. 2. to sum. c. 90. n. 30. Stunica q. 3. de voto, n. 75. Em. Sa summ. v. Votum*, ubi de voti irritatione, §. 1. *Vega 2. tom. sum. cap. 29. cas. 20.* Quid autem, si tempore divortii fiant? dicam num. 41.

24 Hinc infertur, licet pater consenserit voto, non peccare virum postea revocando. Quia utitur jure suo, cui pater præjudicare non potuit. Videtur expressa sententia D. Augustini, cujus verba n. præc. retuli. Et ita intelligentes verba, docent *Hugo, Archid. Bellam. n. præc. relati.*

Aliqui temperant, ut intelligatur de votis marito præjudicantibus. Sic *Abbas Monald. Silvest. Navar. Azor.* Id tamen 25
mirum non est. Quia sunt in ea sent. ut vir nequeat vota ab uxore constante matrimonio facta irritare, nisi sibi præjudicent (ut n. 3. vidimus) Ceterum existimo posse omnia irritare (excipe votum religionis, de quo dicam n. 28. & votum castitatis, atque de rebus necessariis: & dandi eleemosynam, de quibus dicam n. 26. & 27. Quia quamvis actus liber, quo mulier ante matr. vovit, non sit viro subjectus, tanquam omnino præteritus; at materia illa voto promissa, est jam plane viro subjecta. Quia potest modo vir in omni tempore occupare uxorem. Qua ratione utitur *D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8. ad 3.* ad ostendendum nulla religiosi vota esse firma absque prælati consensu. Atque ita nec ea uxoris vota ita firma erunt, quin possint a viro revocari. Et hoc dicit esse probabile *Ludov. Lop. 2. par. instr. c. 48. §. Rursus.*

Excipe 1. vota realia emissa ab uxore ante matr. Ut si tunc 26
vovit eleemosynam, cum esset sui juris, ut si erat vidua, vel carebat patre, & tutore: hæc enim vota non poterit maritus irritare. Quia judicandum est, ac de aliis debitis, ad quæ uxores antea tenebantur. Quamvis enim id debitum sit personale; nulla enim hypotheca afficit bona, alias transiret obligatio ad singularem successorem, ut legatarium, vel titulo emptionis possidentem ea bona, aut donationis: non tamen est debitum, quod jurisperiti Personalissimum appellant: aliter obligatio voti realis explendi non transiret ad hæredem. Quod est contra omnes. Et ita potest dici quodammodo bona afficere, atque ita virum teneri permittere, ut uxor expleat, & cum eo onere recipere bona. Dixi, si erat sui juris. Nam si non talis esset, licet pater, tutor, aut vir non irritasset, maritus poterit. Quia loco illorum succedit, & erant vota dependentia a consensu superioris. De qua potest videri late disp. 41. & generaliter de aliis votis, quæ vir nequit irritare, eo quod facta sint ante matrim. an possint in hoc eventu irritari?

Secundo excipe votum castitatis ab uxore ante matrimo- 27
nium emissum: id enim a viro irritari nequit. Quoniam illud votum continet duo, nempe, non exercere actum venereum, nec reddendo nec petendo. Quoad primum non indiget irritatione. Nam fortiori matrim. vinculo constringitur reddere. Quoad secundum autem, irritari nequit a viro. Quia materia petendi non est viro subjecta, ita ut prohibere possit, aut præcipere debiti petitionem, sed mulier est libera, & sui juris in hoc. Nec actus liber, quo mulier eam filii obligationem imposuit, est sub viri dominio & potestate. Quoniam est jam Deo consecratus, & quando fuit elicitus, non poterat prohibere ne eliceretur. Quare non est audiendus *Jo: de Friburgo summa confessorum, lib. 1. tit. 8. q. 35.* dicens posse virum id votum irritare. Cujus contrarium tenent omnes, quos n. 10. retuli, asserentes nec emissum posse matrimonium votum castitatis posse a viro irritari. Eadem ratione dicendum est, nec posse virum irritare vota de rebus necessariis, ut de non furando, de non mentiendo, emissa ab uxore, ante matrim. contractum. Quia nec materia illa tanquam necessaria subditur viro. Nec actus liber, quo votum factum est, tanquam omnino præteritus, & Deo consecratus, & quidem eo tempore quo voluntas illa a viro non dependebat. In quo distinguitur a tali voto post matrimonium facto. Quia tunc voluntas erat viro subjecta. Et ideo n. 4. diximus posse a viro irritari. Utrum autem possit vir irritare hæc vota, quando tempore, quo mulier erat impubes, illa emisit, poterantque irritare a patre, matre, vel tutore? dicam disp. 41. n. 4. Si autem facta sint tempore divortii, dicam hac disp. n. 41. & quid de votis factis postquam uterque conjux vovit continentiam, aut religionem, dicam, disp. 42. n. 10.

Tertio excipe votum religionis ante matrimonium ab uxore 28
emissum, non enim poterit a viro irritari. Quia si matrimonium non est consummatum, tenetur tunc implere: & id votum tunc emissum non potest irritari a viro (ut probavi n. 19.) nedum votum factum ante matrimonium. Si vero jam sit consummatum, non indiget pro tunc irritatione. Quoniam impleri nequit. Nec potest irritari pro tempore, quo uxor erit sui juris, quando jam tenebitur implere. Quoniam materia illa non erat viro subjecta tempore quo promissa est, nec actus liber, nec subjicitur etiam materia tempore, quo votum implendum est. Quæ dixerim, si mulier jam pubes promisit. Nam si erat impubes, & ita poterat votum illud irritari, dicam disp. 41. n. 45. Quando factum est tempore divortii, dicam hac disp. n. 28.

Utrum autem peccet mulier matrimonium iniens, sciens 29
fore impedimento ne vota expleat? dixi n. 8.

Tandem, si mulier obligationem aliquam cum homine 30
contraxerit ante matrimonium, vir non poterit illam irritare, propter jus homini acquisitum. Et quia mitius agitur cum Deo, quam cum homine. Sic docent *Hugo, Archid. & Bellam. n. 23. allegati*, & potissima ratio differentiæ est. Quia superior non gerit vices hominis, cui jus acquisitum est, ut possit illud remittere, & irritare: at gerit vices Dei, cui jus per votum acquiritur.

Ad argum. num. 22. proposita respondetur. Ad 1. dic argu- 31
mentum concludere, eam non esse veram irritationem, sed suspensionem: quod est verissimum. Ad hanc autem suspensionem tatis est uxorem postea incidere in viri potestatem, non enim placet Deo, ut ipso contradicente impleat. Ad 2. dic, non posse virum derogare omnino irritando, bene tamen suspendendo:

do: ut dixi in solut. præc. cur autem idem non possit in obligatione cum homine contracta? dixi n. præced.

SUMMARIUM.

An vota per virum irritata reviviscant? Si vera irritatio sit, non reviviscunt, secus si sit suspensio sola, num. 32.

Refertur quædam sententia, 33.

An ut vota irritata non reviviscant, desideretur potestas, & dominium in voluntatem subditi, vel sit in materiam promissam, 34.

An si superior irritans det licentiam postea, teneatur subditus implere votum irritatum, & quid si non fuit vera irritatio, sed suspensio, 35.

Vota uxoris facta post matrimonium, & irritata non reviviscunt, num. 36. & ibi, idem de votis servorum, & puberum.

Idem de voto castitatis tunc facto, & irritato, 37.

Idem de votis factis in tempus solutæ potestatis, & irritatis, 38.

Vota uxoris ante matrimonium facta, & irritata a viro reviviscunt, n. 39. & ibi, an uxor teneatur ad ea viro postea dante licentiam?

Quid si dum mulier ante matrim. vovit, erat sub potestate alicujus, qui potuerat irritare, ut sub potestate patris, tutoris, alterius ve mariti, vel in ea ætate vovit, ut si esset sub alicujus potestate, posset irritare? An possit vir perfecte ea vota irritare, ita ut non reviviscant? Et quid de votis factis post matrim. ex licentia viri, & irritatis? Et an vota viri per uxorem irritata reviviscant? Remissive, 40.

Quid de votis factis tempore divortii, an repuentur quasi facta ante matrimonium, ut reconciliatione facta si vir irritet, reviviscant. Et si sint castitatis, vel religionis, vel de rebus necessariis, ut de non mentiendo, nequeant etiam imperfecte irritari, ac si ante matrim. facta essent, 41.

An vota emissa ab aliquo ante ingressum in Societatem Jesu sint suspensa, & reviviscant, si post vota biennii expellatur, 42.

Quid, si superior irritet ea, vel tempore novitiatus emissa, vel post vota biennii etiam facta in tempus expulsionis? & an possit irritare, 43.

Quid, si in eis dispenset: & an possit, n. 44. & ibi, an possit Episcopus cum novitiis dispensare.

An superior possit irritare vota professi, quæ noluit in professionem commutare, ita ut eo expulso, non reviviscant, num. 45.

Solvuntur argumenta, 46.

32 QUæstio ultima. An vota uxoris absque viri licentia facta tunc implenda, vel in tempus soluti matr. vel facta ante matrimonium, aut tempore divortii, & a viro irritata, reviviscant, ita ut soluto matrimonio teneatur uxor eam implere? Absque controversia est (ut bene animadvertit *Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 6. de voto, punct. 6. q. 4.*) vota omnino illegitime irritata, ninime revíscere. Quoniam per irritationem, illa obligatio voti est omnino extincta: obligationem semel extinctam minime reviviscere, comperti juris est, *l. Cum ex causa, Cod. de remiss. p. g.* Quia cum jam desierit esse, vires reassumere non poterit, nisi iterum obligatio illa imponatur ab eo qui potest. Sicut lex semel cassata non potest amplius obligare; nisi iterum Principe eam sanciente. Quare aliqui Doctores asserentes votum semel irritatum revivíscere, aut sunt reprobandi, aut intelligendi, quando non est vera irritatio, sed suspensio voti. Hi sunt *Vincent. speculo doctr. tom. 2. lib. 9. c. 85. Tabiena Votum 5. q. 5.* & videntur tenere *Innocent. c. Scripturæ, de voto, num. 3. vers. Idem credimus, & ibi Hist. ad fin. Joan. Andr. num. 4. Anton. num. 3. Cardin. q. 13. Anch. n. 8.* ubi dicunt impuberem teneri implere votum peregrinationis, ubi fuerit sui juris. Atque communiter refertur pro hac sententia *Innocent. ibi.* Sed nec ipse nec alii, qui eum omnino sequuntur, explicant, fuerit votum irritatum nec ne. Difficultas igitur præsens eo pertinet, ut explicetur, num hæc sit legitima, & vera irritatio, an potius suspensio voti pro eo tempore, quo potestas mariti durat. In priori enim casu constat vota illa penitus extingui, & ideo nunquam amplius obligare: in posteriori autem obligare cessante viri potestate.

33 Quidam igitur opinantur uxorum vota constante matrimonio facta non vere irritari per viros, sed esse suspensionem pro tempore constantis matr. atque adeo eo soluto revivíscere, & implenda esse. Ducuntur, quia hoc distat, inter irritationem ratione dominii, aut quasi dominii in voluntatem: aut ratione materiæ: quod in priori casu est vera irritatio; & ita votum non revivíscit, ut contingit in votis impuberum, & religiosorum. In posteriori autem, si materia est huiusmodi, ut maneat in potestate subditi, postquam a potestate superioris eximitur, ut si vovisset quotidianam eleemosynam, non est perfecta irritatio, sed suspensio, atque adeo soluta potestate, votum revivíscit, ut contingit in votis uxorum. Quod inde probatur, quia nequit superior irritare votum illius, nisi quatenus potest illi subtrahere materiam oblatam: cum sit solum superior quoad rem oblatam, at nequit materiam oblatam auferre, nisi pro tempore, quo est illi subditus, pro quo solo tempore materia est sub illius potestate. Ergo non potest omnino votum irritare, sed illud suspendere: & proinde cessante potestate revivíscet. Secundo, quia quando subditus petit licentiam exequendi votum eo tacito, negatio licentiæ superioris non est voti irritatio, secundum omnes, sed cessat pro tunc obligatio per materiæ subtractionem, manente voti vinculo, & cessante prohibitione revivíscit, At ita contingit in præsenti, tantum enim subtrahitur materia subjacens dominio viri. Ideo hanc sententiam tenent *Rosella Votum 2. n. 7. & 23. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 2. de voto punct. 6. q. 4. juncta q. ultim. de votis subditorum.* Nam *in ea quæst. 4.* docet quando subditur aliquis quoad tolam materiam, votum revivíscere: & *q. ultim.* docet uxores quoad vota non subjici ratione voluntatis, sed materiæ promissæ: ac subinde censet ea revivíscere, Item tenent in alio simili, fatentes tamen rem esse dubiam, *Palud. 4. dist. 38. q. 4. art. 2. concl. 11. num. 29. D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. vers. 2. pueri*, nempe, in voto filii puberis. Et similitudo in hoc consistit, quod talis filius solum ratione materiæ subditur patri, ut probavi n. 2.

Ut radicitus tamen intelligatur, quando vera irritatio voti 34
sit, quandoque suspensio: advertendum est dupliciter votum irritari posse, Primo, directe voti vinculum dissolvendo. Secundo, quasi indirecte, per remotionem materiæ, illam prohibendo. Quando ergo votum irritatur ratione dominii in voluntatem, extinguitur directe vinculum, & ideo nunquam revivíscit. Quia cum actus ille liber, quo votum est factum, sit pendens a superioris consensu, tanquam ipsi subjectus, potest superior suo dissensu revocare omnino, quo sublato extinguitur votum. Atque superior irritans id velle facere videtur, nisi aliud declaret. Quia id sonat irritatio. Quando autem irritatur votum ratione solius dominii, & potestatis superioris in materiam promissam: quamvis Doctores, n. præc. retali, sentiant indistincte non esse irritationem & veram. At sic distinguendum arbitror. Aut materia omnino, & plene subjacet potestati superioris: quia scilicet, nulli alii est prius oblata, aut devincta obligatione aliqua subjectionem illam præcedenti, & tunc credo esse perfectam irritationem: & ideo votum sic irritatum non revivíscere contra Doctores n. præcedenti allegatos. Qui autem hoc docent, referam nu. 36. Et ratio est. Quia quod juris est de toto quoad totum, idem est & esse debet de parte quoad partem, *l. Quæ de tota, in princ. ff. de rei vedic.* & late tradit *Everrard. loco a toto ad partes, n. 2. & seq.* Sicut ergo ad omnimodam, & totalem irritandi vota potestatem debitur potestas, & sufficit dominium totale voluntatis subditi, seu actus liberi, quo voget Deo rem illam, ita ad potestatem irritandi partialem, nempe, in materia determinata, sufficit ac necessarium est partiale dominium, nimirum, voluntatis, seu actus liberi, quo materia illa promittitur. Et confirmatur, quia sicut ubi adest perfectum dominium voluntatis subditi, potest superior omnia ejus vota irritare: eo quod vota habeant tacitam conditionem, nisi superior contradixerit, qui ratione dominii absoluti & totalis id potest efficere: atque est perfecta irritatio. Ita quando habet dominium partiale voluntatis subditi circa aliquam materiam, poterit circa illam perfecte, & omnino irritare. Quando quidem vota de tali materia habent similem tacitam conditionem: potestque superior contradicere ratione totalis dominii, quod habet in voluntatem subditi, quoad dispositionem de illa materia. Aut non omnino, & simpliciter subjacet potestati superioris, sed secundum quid. Ut si ante subjectionem jam illa materia erat Deo consecrata, & oblata per votum. Tunc enim non simpliciter subjacet illa materia superiori, nec actus liber, quo oblata est Deo. Atque tunc dum superior irritat, non est vera, & perfecta irritatio, sed secundum quid, & potius suspensio. Ac proinde durante potestate exercitatur subditus ab impletione: at ea soluta tenetur. Et actum liberum tunc non esse subjectum, inde constat: quoniam est omnino præteritus, & Deo per votum independens ab alicujus consensu dicatus, ac tempore quo non erat subjectio. Nec potest modo abripi, quia ad præteritum non est potentia. Nec subdita postea persona, subduntur ejus actus præteriti; cum jam transierint. Dices vinculum voti, & obligationem esse præsentia. Respondeo, cum tale votum naturaliter, & intrinsece sequatur ex actu promissionis, nulla ratione posse superiorem hoc nomine votum perfecte irritare, nisi habeat vel habuerit dominium in illum actum. Quod autem tunc non simpliciter materia subdatur superiori, probatur. Quia cum prius esset obligata Deo, qui jus in illam acquisierat, non potest plene, & omnino subdi alteri. Sed potest secundum quid. Quia superior, nimirum vir, potest in omni tempore occupare uxorem, ac proinde potest pro tunc. Atque uxor fortiori servitutis vinculo astricta non tenetur pro tunc vota exequi (ut declaravimus n. 25.) Tandem eam irritationem in hoc eventu non esse veram, sed suspensionem, probatur quia ea vota sunt facta absolute & independenter a voluntate superioris, cum tunc non esset, nec subinde habent tacitam conditionem, nisi superior contradixerit. Quod est ratio, & fundamentum potestatis irritandi perfecte: teste *D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8. corp. & ad 1.* quem alii omnes sequuntur. Item, quia ea vota præterita non sunt modo sub potestate superioris, cum jam sint Deo consecrata: sicut proxime dicebam de actu libero promissionis. Ergo nulla ratione potest ea omnino irrita facere. Cum nec habeat, nec habuerit dominium in actum vovendi. Et confir. quia sicut actus vovendi fuit absolute, & independenter elicitus ita est a Deo acceptatus: & consequenter vinculum

voti

voti ex eo actu consurgens. Doctores autem asserentes si vota emissa ante subjectionem irritentur, non esse perfectam irritationem, & revivescere: in quo casu non est dominium in materiam absolute, sed secundum quid; referam n. 39.

35 Atque ultra differentiam n. 32. traditam inter veram irritationem, & suspensionem, quod per illam omnino cesset vinculum voti, per hanc autem non cesset, sed executio suspendatur, donec cesset potestas superioris: est alia differentia ex hac consurgens. Nam ubi vera voti irritatio non tenetur, ex illo vinculum ad illud, quamvis superior assensum præamplius subditur ad illud, omnino extincta revivescere nequit, beat. Quia obligatio illa omnino extincta revivescere nequit, nisi subditus denuo voveat. Ita *Silvester Votum 4. quæst. 2. dict. 3. Nav. summa, cap. 12. num. 65. Graffis 1. part. decisionum, lib. 2. capit. 29. numer. 4. Philiarcus de offic. sacerdotis, tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 4. §. Sed major difficultas, Emmanuel Sa summa, verb. Votum*, ubi de voti irritatione, §. *Irritans votum si postea*. At ubi est sola voti suspensio, connivente superiori obligabit. Quia vinculum voti manebat, & ob solam materiæ prohibitionem suspensum erat, ergo cessante prohibitione, pristinas obligandi vires recuperabit votum.

36 Ex dictis deducitur primo, vota omnia constante matrimonio emissa ab uxore, pro tunc implenda, si a viro irritentur, non revivescere. Contra Doctores relatos n. 35. Probant *Abbas, Cajetanus, Angelus, Silvester, Sotus statim citandi*, per *capit. Quidam*, & *cap. Placet, de conversi. conjugat.* ubi conjux professus, & ab altero revocatus non tenetur revocante mortuo, ad religionem transire. Sed hi textus nil conferunt: non enim innituntur irritationi voti, sed quia professio fuit irrita (ut n. 13. probavi.) Ideo melius probat. Quia vir potest irritare vota uxoris ratione potestatis, & dominii in voluntatem ipsius (ut probavi n. 4.) In quo casu fatentur omnes esse perfectam irritationem, nec vota revivescere (ut diximus n. 34.) Atque ita tenent *Abbas cap. Scripturæ, n. 7. de voto, Cajetanus num. 2. quæst. 88. art. 8. dub. 4 Abulensis cap. 30. Num. q. 86. Angelus Votum 2. num. 12. Silvester Votum 4. quæst. 2. dist. 3.* & *4. Armilla verb. Votum, nu. 12. Sotus lib. 7. de justitia, quæst. 3. art. 1. vers. Aliud post hæc dubium, Navar. summa, cap. 12. num. 66. Ludov. Lopez 1. par. instruct. cap. 48. §. Vota semel irritata, Philiarcus de officio sacerdotis, tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 4. §. Sed major difficultas, Vega 2. tom. summa, cap. 129. cas. 95.* Imo esto diceremus vota hæc irritari a viro non ratione dominii in voluntatem uxoris, sed quia materia est illi subjecta. Cum materia plene subdatur, tanquam nulli alii ante subjectionem dicata, esset perfecta irritatio, nec revivescerent (ut n. 34. probavimus) Atque ita *Silvester eadem quæst. 2. dict. 5.* fatetur uxorem tantum subdi viro quoad materiam. Quod idem (ut n. 3. retuli) sentiunt *Navar. Philiar. Ludov. Lopez* & tamen omnes hi aiserunt ea uxoris vota non revivescere. Præterea, quia idem dicunt de votis servorum per dominos irritatis *Sotus, Navarr. Ludov. Lopez ibi*, & tamen constat servos tantum quoad materiam subjici dominis. Atque ideo non omnia illorum vota possunt domini irritare, sed sola illis præjudicantia. Tandem, quia de votis puberum dicunt idem, *Sotus, Silvester eadem quæstion. dict. 3.* & *4. proxime citati*, & *Arag. 2. 2. q. 88. artic. 8. fine*, & *Graffis 1. part. decisionum, lib. 2. cap. 29. num. 5. Philiarcus proxime allegatus*, quos tamen solum ratione materiæ subdi patri probavimus num. 2.

37 Secundo infertur, votum castitatis constante matrimonio ab uxore emissum, quod num. 11. & 12. dixi posse a viro irritari, non revivescere. Quia irritatur ratione dominii, quod habet vir in voluntatem uxoris, ad illam dirigendam, quamvis deficiat dominium in materiam illam.

38 Tertio infertur, vota ab uxore, seu ab alio subdito in tempus solutæ potestatis, quando sunt a viro, seu ab alio superiore irritata, quæ n. 16. posse irritari diximus, non revivescere. Et hoc licet sit votum castitatis emissum ab uxore ad illud tempus, quod n. 18. probavi posse irritare. Quia ea vota, aut irritantur ratione dominii in voluntatem, aut saltem dominii in materiam. Et eadem ratione dicendum est idem de voto religionis in id tempus ab uxore facto, quod nu. 19. dixi posse irritari. Et hoc necessario tenentur dicere omnes, quos n. 16. 18. & 19. retuli, dicentes posse ea vota irritari. Non enim possunt intelligi de suspensione. Nam cum non obligent donec solvatur potestas superioris, ipsa sunt suspensa.

39 Quarto infertur, vota ante matrimonium ab uxore facta, quæ irritari a viro posse diximus num. 23. soluto matrimonio, revivescere. Quia ea non est perfecta irritatio, sed tantum suspensio. Nam cum nec actus liber, quo votum emissum est, viro subdatur: nec etiam materia promissa sit illi subjecta simpliciter, sed secundum quid (ut explicui n. 34.) non possunt ea vota simpliciter irritari. Atque ita docent *Archid. cap. Noluit, 33. quæst. 5. num. unic.* & *ibi Bellam. n. 1. Rosella Votum 2. num. 7. Nav. summ. cap. 12. num. 61. Alexan. in suo Enchir. 1. par. de potestate confessorum cap. 5. num. 155. Philiarc. de offic. sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 4. §. Sed major difficultas, Lud. Lop. 1. par. instr. c. 46. §. Mulier uxor, Graffis par. 2. decis. lib. 2. c. 12. n. 31.* Quare audiendus non est *Vega 2. tom. sum. c. 129. cas. 20.* qui dicit non revivescere. Ducitur, quia obligatio semel extincta non revivescit. Sed supponit obligationem illam semel extinctam esse, & non potius suspensam. Quod probare oportebat. Dum autem dicunt hi Doctores, obligationem illam revivescere, intelligendi sunt quoad materiam, ad quam votum illud cessante superioris potestate, obligat. Verbi gratia, vovit uxor ante matrim. se quotidie recitaturam calculos virgineos, aut jejunaturam omnibus sextis feriis totius vitæ, irritavit postea vir, non tenetur soluto matrimonio ad preces, & jejunia omissa tempore suspensionis voti. Quia fuerunt onus diei, ac proinde transacto die, cessavit obligatio. Sed tenebitur ab eo tempore soluti matrim. ad recitandum quotidie eas preces, & jejunandum sextis feriis. Hinc fit, si postquam vir id votum irritavit, concedat iterum licentiam, teneri uxorem ex tunc illud servare juxta dicta num. 35. Quia obligatio tantum erat suspensa, dum vir impediebat materiam.

40 Quid autem dicendum sit, si tempore quo uxor ante matr. vovit, erat sub potestate alicujus, qui id votum irritare poterat: ut patris, tutoris, aut alterius mariti. Vel si iis carebat, erat in ea ætate constituta, ut si eos haberet, possent irritare, ut si impubes vovit votum personale: vel pubes ante XXV. annum fecit votum reale. An possit præsens maritus irritare, ita ut votum illud non reviviscat? dicam tota disp. 41. Atque de votis ex viri licentia factis, an irritari ita possint a marito, ut non reviviscant? dicam tota disp. seq. Et de potestate uxoris ad viri vota irritanda, ita ut ea non reviviscant, dicam tota disp. 42.

41 Gravior autem difficultas est de votis ab uxore factis tempore divortii ob adulterium, an reputentur ea vota quasi facta ante matr. & ita reconciliatione secuta nequeant etiam imperfecte irritari, seu suspendi, si sint castitatis, religionis, realia, aut de rebus necessariis, quæ n. 26. & duplici seq. diximus, nec imperfecte irritari posse: aut si sint alia vota quæ imperfecte irritari possunt, facta ante matrimonium, tunc enim facta, non possint aliter irritari, atque ita soluto matrimonio reviviscant? Et videtur non posse. Quia cum neuter conjux tunc sit sub potestate alterius, votum videtur independens, ac si ante matr. emissum esset. Sed sic distinguendum existimo. Si conjux reus vota emittat etiam castitatis, & religionis, poterit innocens vir reconciliari volens, eo pacto, irritare, quo posset irritare, si matrimonio integro, & illæso facta fuissent. Quia cum matr. tunc separetur, ac divortium fiat, in favorem innocentis, ac dependenter ab ejus voluntate, nimirum, dum ipse noluerit reum ad pristinam amicitiam restituere, nequit alter illius juri præjudicare: ac proinde quidquid voverit, habet tacitam conditionem: dummodo non præjudicet juri, quod innocens ante divortium habebat, cum pace componere voluerit. Quod clarius constabit ex dicendis lib. seq. tota disp. 10. Si autem innocens vota emittat, censendum est de illis sicut de factis ante matrimonium. Quia innocens tunc est omnino sui juris, & obligatione aliqua alteri conjugi non est astrictus, quamvis vinculum matrimonii perseveret. Quare vovet ab altero independenter. Unde fit ut nullo modo suspendere possit conjux reus, partibus compositis, quamvis sciverit, vota castitatis, religionis, de operibus necessariis, ac realia ab altero conjuge innocente tunc emissa. Sicut ea facta ante matr. suspendere non poise, diximus nu. 26. & duplici sequenti. Ac poterit vir suspendere vota alia innocentis uxoris, sicut n. 23. & 25. diximus posse facta ante matrimonium: & vota sic suspensa revivescent, ut diximus n. 39. Non autem vota conjugis rei, quæ innocens vere irritavit. Sicut nec reviviscunt vota integro matrimonio facta, & irritata: ut diximus n. 36. Similiter uxor si rea sit, ubi ad amicitiam restituta fuerit, poterit suspendere ea vota, quæ posset si ante matrimonium facta fuissent a viro: & si ipsa sit innocens, vir autem reus, poterit irritare ea vota, quæ posset si integro matrimonio facta fuissent, ob rationem dictam. Quæ autem sint vota, quæ tunc poteſt irritare, & quæ suspendere? dicemus tota disp. 42. Ex quo deducitur, si inaocens, sive vir sive uxor emittat eo tempore divortii, votum religionis, aut castitatis: cum sit tunc omniuo sui juris, teneri ad illud: & nequire alteri remittere adulterium, ne votum infringere cogatur (ut dixi n. 8.) At facta semel reconciliatione, aut instaurato matr. ob simile adulterium ejus, qui prius innocens fuerat, excusabitur a religionis voto pro tunc, donec illi soluto matrimonio, aut ob aliud divortium, liceat ingredi: & si fuit votum castitatis, tenebitur reddere, at petere non poterit: & tenebitur etiam non reddere, si iterum sit justa divortii causa ob alterius adulterium: perinde ac si id votum castitatis esset ante matrimonium factum. Quando autem essent alia vota, posset innocens reconciliationem facere, licet executio illorum votorum esset illi interdicenda, & suspendenda (ut n. 8. probavi) & omnia hæc intelligo, quamvis propria authoritate innocentis fiat divortium, & quid si de licentia ipsius alter voveat? dicam lib. 10. disp. 10. n. 4.

42 Quinto infertur, vota facta in sæculo ab ingrediente Societatem Jesus, quæ suspensa in ea sunt, revivescere, egresso. Quare dum manet in Soc. ad ea minime tenebitur, ut habetur *can. 22. primæ congregationis generalis Societ. Jesu*, & *reg. 23. Magistri Novitiorum*. Quod intelligo, nisi post professionem expellatur. Cum enim omnia vota in solemnem professionem commutentur, extinguitur prorsus eorum obligatio. Atque ita eo expulso, non reviviscunt.

43 Dubitabis autem, Quid dicendum sit, si superior Societatis ea vota irritet? Primo dico, non posse ea vota irritare superiorem Societatis Jesu; quæ quis in sæculo, aut tempore novitiatus emisit. Quia novitii non subduntur superiori quoad omnia, sed tantum ut probentur, & instituantur in religione. Ita docent *Navar. summ. Lat. cap. 11. n. 65. Hisp. cap. 28. addit. ad n. eumdem, Lud. Lopez 1. p. instr. cap. 48. §. Materia voti* (quamvis *cap. 47. cap. Sed Utrum*, dubius manserit) *Manuel 1. tom. qu. regul. q. 25. art. 8. fin.* At poteſt talis superior, ut magister Novitiorum, vel alius superior, ea vota in novitiatu, vel ante emissa suspendere, donec commutentur in professionem. Atque ideo caute dixit *Navar.* non posse superiorem irritare, sicut poteſt vota professorum. Quali velit posse vota horum perfecte irritare: illorum autem solum suspendere, & ita reviviscent, eis egressis. Probatur posse suspendere, quoniam novitius pro tunc subditur prælato, sicut professus: cum hoc solo discrimine, quod professus tenetur ex voto obedire: novitius autem se offert sponte ad obediendum: & supposito eum velle profiteri, debet obedire: ne repulsam patiatur. Secundo dico, superiores Societatis Jesu posse vota irritare emissa a religiosis ante, postquam admissi sunt ad vota biennii, vel coadjutorum formatorum & ea sic irritata nunquam reviviscere, quamvis emissa sint in tempus si e Societate egressi fuerint. Quia quamvis ea vota non sint solemnia, at veros religiosos eos constituunt; ut declaravit *Greg. XIII. in bulla, Ascendente Domino, concessa Societati, anno 1582.* & per ea se tradunt & sua Soc. quantum est ex parte sua: & habet Soc. in eos jus, ut ibi declaravit Greg. XIII. & sunt omnino subditi, ita ut nil omnino possidere donareve possint, nec de se disponere. At irritandi potestas ex hac subjectione oritur. Præterea, quia voluntas horum multo magis subditur superiori, ab illoque pendet, quam voluntas filii a patre, aut uxoris a marito. Atque ita sentiunt viri doctissimi. Tertio dico, non posse eos irritare vota a talibus emissa in sæculo, aut tempore novitiatus, quamvis jam vota biennii, aut coadjutorum formatorum fecerint (post professionem autem dicam n. 44.) At posse ea suspendere pro tempore quo manserit in Soc. vires reassumptura post egressum. Quia reputantur tamquam vota facta ab uxore, ante initum matr. Quæ n. 39. probavimus non vere irritari, sed suspendi a viro. Quia hæc similiter extra tempus subjectionis facta sunt: atque ita nec superior habet potestatem in actum liberum tamquam omnino preteritum: nec in materiam, tamquam jam Deo consecratam ante subjectionem. Utrum autem possit talis superior irritare, quando fecit votum tempore quo pater, vel tutor, quem habebat, poterat irritare, vel si haberet, posset? dicam disp. 41. n. 11.

44 Duplex autem objectio superest contra hoc. Prior, nam inde sequitur nec superiorem religionis posse in novitiorum votis dispensare, quoniam ad id requiritur vera superioritas spiritualis. Atque ita concedit *Angles Florib. 2. p. q. de voto art. 8. post 10. diffic. dub 3.* & dicit esse tutius *Lud. Lop. 1. p. instr. cap. 47. §. Sed utrum*. At verius est posse dispensare. Quoniam tempore quo novitius perseverat in religione, quamvis prælatus non habeat potestatem dominativam in ejus voluntatem nondum sibi per professionem traditam, habet tamen spiritualem jurisdictionem (ut tradit *Nav. summ. Lat. cap. 12. n. 65.*) Non enim decet ut circa novitiis in religione occurrentia adeatur Episcopus. Ita docent *Enriq. lib. 7. de indulgent. cap. 12. n. 7. Manuel in qu. regul. to. 1. q. 25. art. 8.* Pro eadem opinione sunt *Sylv. v. Dispensatio, q. 14. d. 1.* & *ibi Angelus n. 8.* ubi dicunt posse prælatum religionis dispensare (cum novitio, ut ad ordines promoveatur. Unde poteſt prælatus religionis dispensare cum illis, in iis, in quibus poteſt cum professis. Addit (& bene) *Enriquez* posse similiter Episcopum cum illis dispensare. Quia nondum plenam exemptionem, & subjectionem regulari prælato consecuti sunt, atque proinde possunt se Episcopo subjicere, si cum ipsis dispenset.

45 Secunda objectio est. Quia inde etiam sequi videtur, non posse prælatum irritare vota, quæ professus in sæculo, aut in novitiatu emisit, nolsitque per professionem extingui. Quia facta sunt tempore, quo nec actus liber, nec materia erant subjecta prælato, & ita tantum poterit illa suspendere, atque eo expulso a religione reviviscent. Sed neganda est sequela, & dicendum posse ea perfecte irritare, instar votorum post professionem factorum, Et ratio est. Nam teste *Sylv. Votum 4. q. 7. dict. 5.* si eam voluntatem habuit non extinguendi per professionem, ante instans ipsius, adhuc extinguitur votum: si vero in ipso instanti professionis, reputabitur ac factum post professionem, & proinde tempore plenæ subjectionis, ac poterit irritari, Sicut tradunt DD. peccatum pravæ dispositionis commissum in Baptismi susceptione, reputari tamquam admissum post Baptismum, & ita subjici sacramento pœnitentiæ.

46 Ad argum. n. 33. proposita respondetur. Ad primum negando eam differentiam, ubi materia plene subjicitur, & non tantum secundum quid, & ad probationem est neganda minor, quæ constat ex dictis n. 34. Ad secundum neganda est minor, quia in casu priori superior tamquam voti ignarus non intendit irritare. Nam voluntas non fertur in objectum incognitum: secus in casu posteriori.

DISPUTATIO XL.

Utrum vota uxoris quæcumque, etiam castitatis, de licentia viri, constante matrim. emissa, possit idem vir irritare: atque soluto matrim, minime reviviscant? Et quid de votis castitatis, religionis, matrim. non ineundi, factis mutuo consensu, aut a viro ordinis sacri suscipiendi: & femina vero castitatis, aut religionis, eodem commum placito emissis?

SUMMARIUM.

Quot sint quæstiones disputandæ, num. 1.

An possit vir irritare vota uxoris alia a castitatis voto, de sua licentia emissa. Referuntur duæ sententiæ, nu. 2. & 3.

Potest vir, & quilibet alius superior talia vota valide irritare, nec peccat subditus tunc non exequens vota, licet peccet superior, 4.

Idem dicendum est licet votum sit reale, & licet sic implendum tempore solutæ subjectionis, num. 5. & ibi remissive, quid de voto non mentiendi.

Quid, si superior dicat subdito, se concedere facultatem vovendi irrevocabilem, 6.

Qualiter peccet superior irritans absque causa, vel cum illa. Et quid distet: inter illam dispensationem, & irritationem, 7.

An tenetur superior illo voto, vel dare licentiam iterum ad exequendum, postquam semel irritavit, 8.

An si superior voti conscius tacuat; & dissimulet, censeatur consensus, ut jam non possit amplius absque causa irritare ponitur opinio, 9.

Potest irritare, nisi revera consenserit. Et quid, si interius consensit, at exterius solum tacuit; & quid, si subditus emisso jam voto petiit licentiam ad vovendum tacito præterito voto, vel ad dandam rem illam tacito voto dandi, vel sola licentia dandi emissi votum, an possit superior absque causa irritare votum illud, 10.

An peccet subditus absque causa, vel de ejus justitia dubius, petens a superiori irritationem voti, quod de ejus licentia emisit, 11.

Post rem voto promissam, traditam, nequit vir, aut superior revocare, 12.

Quid re integra, nimirum, antequam subditus licentia utens voverat, 13.

An professionem homini factam possit superior, qui licentiam dedit, irritare, 14.

Solvuntur argumenta, 15.

An vir concedens licentiam uxori vovendi continentiam, possit votum irritare. Refertur quædam opinio, n. 16.

Potest perinde ac alia vota, n. 17. ubi, quid, si dedit licentiam ad vovendam omnimodam castitatem, & quid de voto non mentiendi.

Solvuntur argumenta, 18.

Quid, si uterque conjux mutuo consensu vovit continentiam. Refertur quædam sententia, 19.

Neuter potest tunc irritare, n. 20. & peccat contra justitiam cognoscens uxorem invitam, & ibi, quid de aliis votis eo tempore factis.

Quid, si sit votum mutuo consensu ingrediendi religionem. Aut abstinendi ab alio matrimonio ineundo. Aut alterius, conjugis castitatis, alterius autem religionis, aut ordinis suscipiendi, 21.

Quid, si eo voto emisso dant sibi iterum potestatem in corpus, an possint conjuges ea vota irritare, & semel facta irritatione non peccent, petendo, nec reddendo. Censeaturque sibi iterum dare, jus petendo debitum, 22.

Solvuntur argumenta, n. 23. ubi quid de aliis votis mutuo consensu factis.

An revviscant vota de licentia viri, aut alterius superioris facta, ejus potestate soluta. Ponitur quædam sententia, 24.

Non revviscunt, 25.

Solvuntur argumenta, 26.

QUadruplex involvitur difficultas seorsum disputanda. I. de irritandis aliis votis, dempto continentiæ voto. II. de ipso voto continentiæ. III. quando mutuo consensu fit. IV. qualiter vota hæc irritata reviviscant. 1

Quæstio I. An possit vir irritare vota uxoris, præterquam castitatis, de sua licentia emissa? Quidam negant eam potestatem. Ducuntur primo, quia ad voti firmitatem in subdito nil desideratur præter superioris consensum: ergo illo accedente manet firmum & irrevocabile. Secundo, quia licentia superioris concedit subdito dominium, & quasi possessionis actionis illius: ad quam est data licentia: cum jam virtute illius votum emiserit. Ergo nequit superior revocare. Tertio, quia promissio facta homini, & ipsi intimata, nequit si de superioris licentia est facta, ab ipso irritari propter jus homini acquisitum. Ergo nec facta Deo, quæ statim ipsi cognita est: ob idem jus Deo acquisitum. Tamdem, quia superior irritans votum præcipiensque subdito ne impleat, est culpæ reus: Ergo ille non est audiendus. Hanc sent. loquens in religionis superiore tenet *Richard. 4. d. 38. ar. 4. q. 3.* imo dubitat, an possit idem superior dispensare. 2

Alii dicunt nullum superiorem posse ea vota irritare, præter religionis prælatum respectu religiosorum. Sic *Philiar. de offic. sacerd. p. 2. lib. 3. cap. 4. §. Sed major difficultas*. Ducitur, quia 3

quia inter superiores habentes potestatem dominativam ad irritandum vota, solus ille habet simul spiritualem: subdit tantum eum, cui votum irritatur, teneri obedire. At fundamen eum, cui votum irritatur, teneri obedire. At fundamentum ejus nullius est momenti. Quia ad irritandum nil confert potestas spiritualis. Et si nomine irritationis intellexit dispensationem, est valde improprie locutus.

4 Prima conclusio sit. Si vir aut quicumque alius superior irritet vota de licentia sua a subditis emissa, valida est irritatio: & quamvis peccet vir, aut alius superior absque causa justa irritans; at uxor, vel alius inferior, immunis est a culpa non servando votum, quod semel jam irritatum non amplius obligat. Probat. ex *cap. 30. Num.* ibi: *Si audiens vir tacuerit, & in alterum diem dissulerit sententiam, quicquid voverat, atque promiserat, reddet. Si autem contradixerit, postquam resciverit, porrabit ipse iniquitatem ejus.* Ubi quamvis non dicat expresse Scriptura, uxorem esse culpæ immunem, dum viro contradicente non servat votum, at tacite id significat, teste *Cajet. ibi*, dum ait culpam uxoris redundare in virum. Et ita intelligit eum locum *D. August. lib. 4. qu. 59. in Num.* & refertur *c. Manifestum 33. quæst. 5.* ibi: *Etiamsi viro permittente repromissa fuerit, non licet ei votum opere complere, cum vir voluerit revocare promissum.* Et ratio est. Quia adhuc superior retinet dominium voluntatis subditi, & rei offerendæ per voti executionem. Quamvis enim translatio dominii non pendeat ab actuali rei situ, sed tantum consistat in facultate re utendi. At superior in hoc eventu concedens facultatem subdito, censendus est concedere solam facultatem quæ illi sufficiat, ut is, & voluntate propria, & re utatur votendo, & exequendo votum. Quod absque dominii translatione fieri potest. Censendum est enim superiorem, minimum quod potest, velle cedere juri suo. Cum possit postea ad subditi bonum pertinere, ut superior tamquam adhuc dominus facultatem illam revocet. Hujus sent. videntur multi DD. asserentes uxorem teneri obedire viro præcipienti, ne votum exequatur, quod ita licentia obtenta emiserat, quamvis peccet vir præcipiens. Hi sunt *Glossa ordin. Num. 30. ad fin. & ibi Hugo lib. K. D. Bonav. 4. dist. 32. in expost. litt. num. 4. & ibi Ricard. art. 2. quæst. 2. ad primum, Hostiens. summ. tit. de voto, §. Quis vovere possit, nu. 8. vers. Uxor etiam, Abbas c. Charissimus, n. 4. de convers. conjug. & c. Scriptura num. 8. de voto*, ubi *Henr. num. 6. Vincent. specul. doctrinal. to. 2. l. 9. c. 86. Lex 8 t. 8. p. 1. Turrecr. c. Sunt quædam 17. q. 1. num. 10. & dist. c. Manifestum, num. 3. & 4. D. Anton. 3. p. t. 1. c. 22. init. Cajet. summ. v. Votum cap. ult. statim in princ. Angel. Votum 2. nu. 10. Armill. v. Votum, num. 12. Adrianus 4. q. 14. de matrim. Nov. summ. c. 12. num. 61. & 73. Nicol. de Orbel. 4. d. 38. q. 1. §. 7. Brunel. de sponsal. concl. 30. n. 14. Alex. in suo Enchir. 2. præc. tract. de voto, §. Si de licentia, Jo. Hessels in expos. Decalogi 2. præc. cap. 14. Graffis 1. part. decis. lib. 2. cap. 29. fin. & 2. p. l. 2. c. 12. n. 27. Lud. Lop. 1. par. instr. c. 48. §. Peccant prælati & cap. 40. §. Mulier uxor.* Atque expresse tenent hanc sent. *Innoc. c. Script. ad fin. de voto, Gratian. dict. c. Manifestum, §. Ex præmissis, Majoris 4. dist. 38. qu. 4. dub. 2. quod incipit, Dubitatur qui possint vovere, versic. Quartæ personæ, Rosell. Votum 3. num. 2. Silv. Votum 4. qu. 2. dist. 6. Cajet. 2. 2. qu. 88. art. 8. dub. 2. Sotus lib. 7. de justitia, quæst. 3. art. 1. vers. Majori autem, & 4. d. 27. q. 1. art. 4. versic. Id autem, Barth. a Ledesf. dub. 20. de matrim. concl. 1. Paludanus 4. d. 38. disp. 3. fol. 872. col. 2. vers. Porro autem, Stunica de voto qu. 3. num. 62. Nieva summ. tit. 136. Angel. Florib. 2. part. qu. de voto, art. 7. post 9. diffic. dub. 1. Aragon 2. 2. qu. 88. art. 8. fol. 1019. Valent. 2. 2. disp. 6. qu. 6. de voto, punct. 6. q. 3. Emman. Sa summ. v. Votum*, ubi de voto irritatione, §. *Irritans votum sine causa, Manuel 2. tom. summ. c. 90. n. 5. Vega 2. tom. summ. c. 120. cas. 22. & 91* Quid autem de votis tempore divortii factis ab adultero, de licentia innocentis, dicam lib. seq. disp. 10. num. 14.

5 Nec audiendus est *Angles num. præced. alleg.* restringens ad vota emissa de licentia superioris, pro tempore subjectionis; secus de implendis cessante potestate superioris. Cum enim æque possint maritus, & alii superiores ea vota irritare, perinde ac tempore subjectionis implenda (ut divimus disp. præc. n. 16.) non video cur nequeant valide utraque irritare, quamvis habita licentia, facta sint. Nam ratio nu. præced. tradita æque habet locum in hoc casu. Nec etiam constituit discrimen quoad hoc inter vota realia, & personalia. Sed de utrique idem dicendum est. Quia DD. num. præc. allegati indistinctè loquuntur; & textus & ratio ibi adducta idem probant. Quid de voto non mentiendi dicam num. 17.

6 Imo idem credo, quamvis superior dicat subdito, se illi concedere facultatem irrevocabilem: adhuc enim valebit irritatio postea facta, & facultas revocari poterit, quamvis superior potuerit, & voluerit eximere subditum a sua potestate, quoad illam rem promisam. Quia adhuc non accepit subditus possessionem, nec dominium exemptionis illius, sed solum habet titulum, quo illam exemptionem comparare possit, quando faciat id quod requiritur, nempe cum votum exequatur.

7 Secunda conclusio. Peccat lethaliter vir irritans votum uxoris, aut alius superior subditi de sua licentia emissum, nisi justa causa intercedat. Prob. *cap. 30. Num.* ibi: *Porrabit ipse iniquitatem ejus*, idest, pœnam solvet pro transgressione voti illius, ut explicant *Lyra & Vatabl. ibi*. At si sola esset venialis culpa, non appellaretur iniquitas: nec eæ pœnæ comminarentur. Secundo, quia licet apud superiorem maneat dominium illius rei, at non manet liberum, sed obligatum adexhibendum rem illam Deo, ratione voti subditi, quo res illa suo consensu obligata est Deo. Quare tenetur ex vi voti efficere quantùm in se est, veram illam promissionem sua auctoritate factam, non impediendo subditum, quo minus impleat. Unde peccatum superioris impedientis, & absque justa causa irritantis; reducetur ad sacrilegium transgressionis voti. Quod ex genere suo est lethale. Atque ita docent *Cajet. 2. 2. q. 88. art. 8. d. 3. Lex 8. t. 8. p. 1. Navar. Angl. Arag. Graffis, Vega, quos retuli n. 4. Manuel 2. tom. summ. c. 89. n. 6. Lud. Lop. 1. part. instr. cap. 48. §. Peccant prælati.* Intelige autem, quando materia esset gravis. Reputarem materiam gravem illam, cujus transgressio sufficiens est ad constituendam culpam mortalem in ipsius voti transgressione. Quia perinde est votum non implere, ac ejus impletionem injuste impedire. Quare non est credendum *Rosella Votum 3. n. 2.* dicenti non esse culpam mortalem, & potest probari. Quia cum superior ipse minime voluerit, non est cur voto subditi obligetur. Votum enim unius, alterum non obligat. Sed facilis est solutio. Quamvis enim votum unius non obliget alterum, ut illud expleat, obligat tamen ne injuste impediat. At superior injuste impedit, revocans absque causa legitima, semel ipso consentiente, consecratum Deo. Quod si justa causa irritandi adsit, vacabit culpa superior irritans. Quia tunc potestate non abutitur, cum possit occurrere casus in quo utilius esset ad Dei honorem irritare. Sic *Major. D. Ant. Rosel. Silv. Palacios, Arag. nu. 4. alleg. Sotus lib. 7. de justit. q. 3. art. 1. vers. majori autem, Vega 2. tom. sum. c. 139. cas. 91.* & expresse colligitur ex *Cajet. summ. vers. Votum, cap. ult. statim in princ. & ex Navar. summ. c. 12. n. 73.* dicunt etiam esse culpam irritare absque causa quasi oppositum sentientes, existente adhuc justa causa. Non videtur autem tam urgens causa desiderari ac ad dispensationem in voto. Quia irritatio illa inuititur potestati dominativæ, quæ ex se nullam postulabat causam ad irritandum. Et cum adhuc duret dominium, obligatio illa superioris ex suo consensu orta non inducit tantam obligationem ad non revocandum, ac si non actus dominii, sed meri dispensatoris esset irritatio: ac proinde licet causam desideret, at non tam gravem; ac dispensatio. Et in hoc aperta erit differentia inter illam irritationem, & dispensationem. Insuper erit alia, quod hæc ad sui valorem causam justam peritilla autem solum ut recte fiat. Nam factam sine causa, validam esse probavimus n. 4.

8 Hinc colligunt aliqui, superiorem absque justa causa irritantem votum subditi sua licentia factum teneri implere votum illud. Sic *Fonseca in annot. ad marginem Cajet. super cap. 40. Num. ad fin.* & hanc dicit illius loci esse germanum sensum. At melius colligeret teneri eum superiorem iterum concedere facultatem subdito implendi votum illud. Sicut injuste impedientes volentem exequi votum, tenetur obstaculum removere: & maxime si esset votum reale, ut erogandi eleemosynam. Quod admittent DD. referendi n. 24. asserentes eam non esse veram irritationem, sed suspensionem. At utrumque carere solido fundamento existimo. Quoniam cum votum illud penitus per irritationem cassatum sit, nec iterum consensu solius superioris reviviscere potest (ut n. 25. probabimus) nulla obligatione jam subditum nec superiorem afficere potest. Quod enim non est, operari nequit. id tamen verum est; & convincit argumentum propositum, teneri superiorem, qui nondum votum irritavit, sed obligationem suspendit, negata exequendi licentia, iterum eam concedere. Quia cum adhuc obligatio voti vigeat, tenetur injustum impedimentum auferre.

9 Major autem difficultas est. An taciturnitas, & dissimulatio superioris cognito voto, censeatur consensus ac licentia, itaut jam non amplius integrum sit illi irritare absque causa, perinde ac si sua licentia factum esset? Id enim affirmant *Innoc. c. Scriptur. n. 3. vers. Sed nobis, de voto*, ubi *Jo. Andr. nu. 4. Cardin. q. 12. Rain. & ejus Glossator*, ut refert eos sequens *Silvest. Religio qu. 15. Abulen. qu. 15. Matt. qu. 149. Adrianus qu. 14. de matrim. Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 6. de voto, pun. 6. qu. 1.* unde dicunt *Abulen. & Adrian.* debere statim audito voto contradicere. Quod explicat *Silv.* idest, eadem die, & probatur ex *cap. 30. Num.* ibi: *Quod si audiens vir tacuerit, & in alterum diem dissulerit sententiam, quicquid voverat, reddet.*

10 At dicendum est posse adhuc irritare. Quia potestas irritandi est actus dominii, at domino integrum est uti aut non uti re, dum voluerit. Et confirm. quia is a quo petitur facultas utendi re illius, poterit differre decretum quousque velit. Nec obstat lex illa Numerorum, quia quoad hoc fuit cæremonialis, & jam cessavit, teste *Cajet. ibi.* Ita docent *D. Th. 4. dist. 32. in fin. in expos. lit. & ibi Palud. q. 2. art. 2. n. 17. Cajet. ca. c. 30. Num. in fig. Tab. Matrim. 1. §. 4.* & videtur sentire *D. Anton. 3. p. t. 1. c. 22. §. 2. Silv. Votum 5. q. 2. Jo. de Friburg. summ. confess. 1. p. t. 8. q. 45.* ubi dicunt viro prius dissimulante, & postea contradicente non teneri uxorem votum implere. Sed quid dicendum si superior tacuit, & revera internum consensum habuit approbandi votum? Videtur enim id non sufficere, ut dicatur votum licentia, & consensu superioris factum, cum jam votum sit præteritum, & illud non sit approbare votum, sed non impedire executionem. Deinde, quia cum taciturnitas illa, si re-

si reputetur consensus, cedat in damnum superioris, utpote qui suo se privat jure irritandi ad libitum, id non est præsumendum. Tacens enim in re sibi nocenti non censetur consentiens (ut probavi *lib. 1. disp. 5. n. 5.*) Atque ita in hac re taciturnitatem non esse signum sufficiens affirmat *Cajet. super c. 30. Num. fin.* consensus autem nullo signo externo explicitus, sed mere internus superioris, non videtur sufficiens, ut votum subditi firmum, & irrevocabile absque causa reddatur. Cum id etiam fit in damnum subditi. Ceterum dicendum est sufficere, si vere superior voluit ratificare votum, secus si tantum voluit non impedire pro tunc illius executionem. Ducor primo, quia quoties consensus superioris non desideratur ad valorem actus subditi potest præstari in ipso actu, & ante, & post, ut multis citatis probat *Matien. lib. 5 secon. t. 3. lib. 5. gl. 1. & 2.* Quod in hoc casu contingit. Nam votum illud subditi validum erat, & efficaciter obligabat ante superioris consensum, a quo eam solam firmitatem accipit, ut deinceps absque causa revocari licite nequeat. Deinde quia votum illud subditi ideo firmum non est, sed ad placitum superioris revocabile, quia tacitam habet conditionem, si superior conscius consensum præstiterit & non contradixerit, teste *D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8. corp. & in solut. ad 1. 3. & 4.* ergo, accedente consensu superioris etiam post votum factum, firmum redditur votum, perinde ac contractus conditionalis impleat conditione, *l. Potior 11. in prin. ff. qui potiores in pignore habeantur.* Et confirm. quia si quis voviset se aliquid facturum Petro consentiente, vel non contradicente, statim ac Petrus consenserit, efficax ac firmum efficitur votum: ergo similiter erit dicendum de voto subditi, quod similem habeat tacitam conditionem. Taciti enim, & expressi idem est judicium. Eo vel maxime, quod illud votum non obligat, donec Petrus consentiat: hoc autem statim obligat, & superioris consensus solum illud firmius reddit. Nec obstat consensum superioris internum esse. Tum, quia jam aliquo signo externo exprimitur, nimirum, taciturnitate & dissimulatione illa. Quamvis fatear esse suffic ens indicium consensus. Tum etiam, quia cum votum illud omnimodam habuerit firmitatem ex parte subditi, ipsumque statim obligaverit, & solum jus superioris maneat integrum & illæsum, ut revocare ad libitum possit: ut superior se ipsum hoc jure privet, non desideratur notum fieri ejus consensum subditis: sed satis est ut Deo sit cognitus. Nullum enim pactum consensu superioris initur cum subdito, sed Deo manet obligatus ad non revocandum. Sicut si superior interne votum faceret non irritandi, teneretur non irritare. Atque hujus sent. expresse videtur *Cajet. illo c. 30. Num. fin.* ubi ait superiorem audito subditi voto tacentem, si revera non consentit, posse absque culpa revocare: ubi clare contrarium significat, ubi adesset internus ille consensus, cum taciturnitate exteriori. At si subditus facto voto aliquid donandi pauperi, aut faciendi, obtineret tacito voto licentiam donandi, aut faciendi illud, nec licentia obtenta votum innovaret: vere prius illud votum esset absque licentia factum, ac proinde posset ad superioris libitum irritari. Quia facultas illa non fuit ad votum jam emissum approbandum, cum superior illud ignoraverit. Nec votum denuo factum est media illa facultate. Sed quid, si subditus obtenta licentia aliquid faciendi, aut donandi, voveat se id facturum? Videtur enim id non de licentia superioris factum. Quia eo ipso quod superior concedit licentiam donandi, videtur concedere promittendi. Quare si ille homini promitteret se eam donaturum, diceretur vere de licentia superioris promissionem illam factam esse. At dicendum est id votum non esse factum de licentia superioris: ac proinde posse absque causa ab eo irritari. Quia id votum est novum onus, & quod subditus libere faciebat obtenta ea licentia, jam ex necessitate præcepti facit, cui oneri & præcepto superior minime consensit. Deinde, quia jure divino & naturali est data licentia religioso non mentiendi, imo imposita necessitas, & tamen non potest ipse nec uxor votum de non mentiendo efficax, & irrevocabile a superiore emittere, ob novam obligationem sibi impositam (ut diximus disp. præc. nu. 4.) Non ergo licentia aliquid efficiendi est licentia vovendi. Præterea, quia longe difficilius concederet superior subdito licentiam jejunandi omnibus sextis feriis, ac id vovendi, quam jejunandi simpliciter. Quia hoc non est gravamen subdito, qui potest libere omittere jejunium, nec superiori, qui potest libere licentiam revocare. Illud autem est magnum gravamen, privat enim subditum & superiorem libertate, illum, omittendi absque culpa; hunc, irritandi absque causa, Aut licentia censetur concessa cum minimo præjudicio possibili. Nec obstat argumentum contrarium. Quia promissio, & pactum contrahendi in plurimum præcedit ipsum contractum distractionis in humanis, atque est quasi dispositio, ac proinde superior dans licentiam celebrandi distractionem, visus est dare ad promissionem illius distractus, *l. Oratio, ff. de spons.* ut dans licentiam ineundi matrimonium, censetur dare celebrandi sponsalia. At votum dandi, vel faciendi, non est via & dispositio, & initium ipsius operis, vel contractus dandi, sed alterius ordinis, ac proinde non includitur licentia.

11 Tertia conclusio. Peccat etiam mortaliter subditus petens absque justa causa voti irritationem, quod de superioris licentia fecit. Quia cooperatur peccato mortalis superioris. At si subditus dubius de causæ sufficientia, illam proponet superiori, qui capax est discernendi, num justa sit (quod addo propter uxorem & virum, dominum, & servum) immunis esset culpæ. Quia potest judicio superioris stare, ubi autem superior non esset capax id judicandi, consulendus est vir doctus.

12 Quarta conclusio. Tradita re voto promissa cum superioris licentia, nulla est in superiori potestas revocandi. Ratio enim cui innituntur *Cajet. Sot. Aragon, & Valentia nu. 4. allegati*, ut ante traditionem liceat superiori revocare; est, quia adhuc manet tunc dominium apud superiorem, sed traditione facta jam translatum est dominium in alterum, *l. Traditionibus 20. C. de pactis.* Ergo jam non licebit revocare.

13 Quinta conclusio. Res integra, idest, antequam inferior votum illud emittat, ad quod superioris licentiam obtinuit, potest superiori licentiam revocare. Quia tunc nulli est jus acquisitum. Sicut si concessit facultatem jejunandi, posset illam revocare. Sic *D. Bonav. 4. dist. 32. in exposition. lit. n. 4.* ubi *Ricard. ar. 2. quæst. 2. corpore, Palud. quæst. 2. ar. 2. n. 38. Rosell. Votum 3. num. 2.* Temperant *Ricard. & Palud.* quando licentia privatim concessa est, secus si publice. Sed merito id reprobat *Rosella.* Quia in neutro casu est jus acquisitum, sed res est integra.

14 Ex dictis infert *Aragon 2. 2. qu. 88. ar. 8. fol. 1020.* integrum esse superiori, revocare ante traditionem, promissionem homini factam de ejus licentia, sicut & votum. Quia in utroque casu dominium manet apud ipsum, in quo fundatur potestas irritandi votum. Et si dicas promissionem homini factam, acquiri jus homini: similiter dicam per votum acquiri jus Deo. Sed dicendum est nullo modo posse valide irritare, sed semper teneri superiorem permittere subdito ut impleat, quamvis ipsum subditum non exequentem, renitente superiori, a culpa eximi credam. Quoniam licet dominium maneat apud superiorem, at est jus acquisitum homini, cujus jus non potest superior remittere, cum non gerat vices ipsius. At cum gerat vices Dei ad gubernandum subditi voluntatem, potest remittere jus acquisitum Deo per votum, valide semper, & licite, quando adest causa, & quamvis illicite faciat, quando absque causa remittit, cum tamen id faciat ut superior, sitque ei obediendum (ut explicabitur n. seq. in solut. ad ult.) adhuc gerit vices Dei. Sicut Confessarius valide absolvens, at peccans mortaliter, gerit vices Dei in quantum absolvit, quamvis culpa sua abutatur potestate.

15 Ad argum. n. 2. proposita resp. Ad primum dic, ut omnino votum subditi fiat irrevocabile, desiderari ultra consensum superioris, traditionem ipsam: at ut non possit licite absque causa justa revocari, satis esse eum consensum. Ad 2. respondet bene *Cajetanus 2. 2. q. 88. ar. 8. dub. 3.* subditum tantum accepisse quasi possessionem emittendi voti, atque ideo prælatum minime posse efficere quin fuerit validum, non autem accepisse quasi possessionem circa rem promissam, quoque illam reddat, & ideo superiorem valde irritare. Ad 3. constat ex dictis num. præced. ubi discrimen constituimus. Ad ultimum resp. bene *Cajetan. eo dub. 3.* quando malitia se tenet ex parte rei ipsius præceptæ, quia nimirum præcipit injusta superior, non esse ei obediendum: secus quando malitia se tenet ex parte ipsius superioris præcipientis, quia minime præcipit injusta, quamvis peccet præcipiens, ut contingit in hoc casu.

16 Quæstio II. An possit maritus irritare votum castitatis, de sua licentia ab uxore factum; valide quidem, etiam absque justa causa: & licite, interveniente justa causa: ut de ceteris votis sua licentia factis diximus? Quidam negant de voto castitatis, quamvis de aliis votis admittant. Ducuntur 1. quia si vir faciens copiam vovendi continentiam uxori, simul voveat de uxoris consensu, nequit irritare (ut dicemus n. 20.) ergo etiamsi ipse non voveat, ipsum enim vovere, aut non vovere, parum videtur conferre ad irritandi potestatem. 2. quia superior potest irritare subditi vota sua licentia facta, quia adhuc opera promissa manent sub ejus potestate, & dominio, & sic cum ille possit prohibere, potest tollere obligationem a subdito per votum contractum; quare votum de ejus licentia emissum circa opera, quæ non subjacent ejus dispositioni: ut est votum non petendi in uxore, in qua re non est viro subjecta: & votum de rebus necessariis, ut de non mentiendo, in quocumque subdito, irritare minime poterit, quia materia non est in ejus dominio. Quod si dicas, posse ratione novæ obligationis, in quantum vir potestatem habet in illum actum liberum, per quem fuit inducta, id non obstat. Quia jam actus ille liber est traditus, & consecratus Deo ex ipsius superioris consensu, atque ita non manet amplius sub ejus potestate. Tertio probatur ex *D. Ambr. lib. de Paradiso, c. 10.* & refertur *c. fin. 33. qu. 5.* ibi: *Vota vero continentiæ ita alterius permissa ab altero valent offerri, quod post promissionem non valent in irritum.* Et ita hanc sent. tuentur *D. Th. 4. dist. 32. in expost. lit. Magist. & ibi D. Bonav. nu. 4. & ibi Albert. Magnus ar. 2. Ricard. ar. 2. quæst. 2. ad primum, Paludan. quæst. 2. ar. 2. num. 17. Gratian. cap. Manifestum, §. Ex præmissis 33. quæst. 5. & ibi Turrecr. fin. Jo. de Friburg. summ. confessor. lib. 2 t. 8. qu. 45. Adrian. 4. quæst. 14. de matrim. D. Anton. 3. par. tit 1. cap. 22. §. 3. Rosell. Votum 3. num. 2. Pisana Votum 3. §. 3. Silv. Votum 5. qu. 2. Tabiena Matrim. 1. §. 4. Navarr. summa cap. 12. num. 61. Philiarcus de offic. sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 4 §. 3. ad major difficultas est, Manuel 2. to. sum. c. 90. n. 5.* qui intelligit, nisi in quantum votum castitatis præjudicat viro, unde ait non licere irritare, ut mulier posit petere. Temperat etiam *Palud.* nisi